SAM. FRIDERICI WILLENBERGII D.
IVR. ET HIST. PROFESSORIS ET ATHENAEI GEDAN.
INSPECTORIS

TRACTATIO IVRIS ECCLESIASTICI
DE

EXCESSIBVS ET POENIS CLERICORVM.

Von
Denen Verbrechen und Straffen der Geistlichen.

RECVSA ET AVCTIOR REDDITA.

JENAE
SVMPTIBVS JOH. PHILIPPI HAASII.
M DCC XL.

CONSPECTUS.

A ministro Ecclesiæ certæ qualitates ad officium ejus requiruntur I. *qualitates illæ a Deo expetendæ, & in actum deducendæ* II. *contrarium in multis E. M. deprehenditur* III. *Originatio vocis clerici. Origo discriminis inter laicos & clericos* IV. *Etymologia vocis excessus & differentia a delicto J. Canonico. Jure Civili & hic excessus gravior & delictum conveniunt. Originatio vocis Pœna* V. *Describitur Excessus clericorum. Sunt clerici seculari summæ potestati subjecti* VI *quando excessus in clericis excusandi? monitum ad eos* VII. *quando in illis graviores, quam in laicis sunt* VIII. *Delicta clericorum a Sec. III. notata. Nulla illis fit injuria, quando ab illis rei postulantur. Quotuplici respectu delinquere reperiuntur?* IX.

SPECIES EXCESSVVM.

Notatur Simonia. Ab hoc excessu deterrendi Candidati ministerii per juramentum X. *Vox hæresis est media significationis. Quando in malam partem accipitur? tunc alius est ejus sensus theologicus, alius civilis* XI. *declaratio horum cum digressione* XII. *In se hæresis crimen non est. Libertas in religione* XIII. *Nec sententia alicujus a pertinaci defensione pro hæretica habenda* XIV. *Inde improbanda hæreticorum supplicia. Quando hæresis in crimen abit & puniri potest?* XV. *Hæretificium crimen esse notatur* XVI. *Schisma qualiter inter excessus referatur?* XVII. *Apostasia*

stasia. Exempla apostatarum XVIII. *quid sentiendum de apostasia diversitate?* XIX. *apostasia inter crimina refertur.* XX. *Atheismus in ministro Ecclesiæ* XXI. *an ab atheo verbum Dei prædicatum & sacramenta administrata efficaciam suam habeant?* XXII. *Ministro E. quandoque fervore utendum* XXIII. *Excessus in officio elenchtico & in tractatis controversiis* XXIV. *in perfunctoria officii opera* XXV. *hujus excessus extensior gradus* XXVI. *Notatur fastus clericorum* XXVII. *Avaritia & usuraria pravitas* XXVIII. *Ebrietas* XXIX. *Facilitas ad rixandum* XXX. *Lusus aleæ & chartarum* XXXI. *ut & Ludi scenici* XXXII. *choreæ & saltationes* XXXIII. *Injuria a clerico commissa* XXXIV. *Abnegatio depositi* XXXV. *Furtum* XXXVI. *Delicta carnis* XXXVII. *Homicidium. Homicidæ Jure Canonico non puniuntur capitaliter* XXXVIII. *Crimen falsi* XXXIX. *Crimen læsæ majestatis* XL.

SPECIES POENARVM.

A quibus pœnis clerici sunt immunes XLI. *quando puniuntur eorum excessus?* XLII. *Pœna ad excessuum qualitatem sunt proportionandæ. Sunt vel correptio verbalis, vel publica delinquentis deprecatio* XLIII. *vel incarceratio vel mulcta* XLIV. *quando Translocatio in minorem ecclesiam fieri possit?* XLV. *Suspensio temporaria ab officio* XLVI. *quæ interdum non pœna, sed via ad inquisitionem est* XLVII. *Differentia inter dimissionem & remotionem. Quid remotio ab officio?* XLVIII. *fieri tantum potest ex gravissima causa* XLIX. *Super ea cognitio instituenda, & per sententiam publicanda* L. *Degradatio in quo crimine & qua ceremonia facienda?* LI. *Hussi degradatio & monachi incendiarii* ibid. *Etiam in usu apud Protestantes est. Exempla. Casus ubi non adhibita* LII. *Contra clericum torquendum etiam dictari potest* LIII. *Ultimum supplicium* LIV. *varia pœna hæreticorum ad vivicomburium extensa, & a Javorskio approbata* LV. *quæ male tamen applicantur. Nisi cum hæresi aliud crimen conjunctum* LVI. *Pœna hæretificii* LVII. *pœna perpetui carceris* LVIII. *Pœnitentia ecclesiastica* LIX. *Excommunicatio* LX. *Clerici delinquentis judex regulariter est Consistorium. Exceptio* LXI. *Epilogus* LXII.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

DE

EXCESSIBVS ET POENIS CLERICORVM DISSERTATIO.

I.

OFficia, quæ in Ecclesia christiana ad curandam animarum salutem exiguntur, ut gravia sunt & magnæ circumspectionis, ita viros requirunt, qui sunt apti ad ea expedienda, ab eruditione, vita inculpata & donis ministrantibus. Varias viri servientis Ecclesiæ qualitates proponit Paulus 1. *Tim. III.* 2. *Tit. I.* 7. ut agat tanqvam pastor, quæ gregi sunt salutaria, & vitet, quibus pessumdare potest fructum officii sui. Dixeris in genere: ut digne officio ecclesiæ minister ejus præsit, ab eo requiri, ut sedulus sit in lectione, in oratione & in doctrina, & ut fidelibus sit exemplar in sermone, & in conversatione, & in charitate, in fide & in puritate 1. *Tim. IV.* 12. *seqq.* Oportet autem eum etiam habere bonum testimonium ab extraneis, ne in probrum incidat, & laqueum diaboli 1. *Tim. III.* 7.

II. Hæ vero qualitates non sunt a natura accedentia dona, & cum aliis hominibus communia, sed sunt dona a Deo collata, quibus inprimis exornat eos, quos ad sacra ministeria destinavit & vocavit. Qui ad ea ergo apud se sentit internam vocationem, statim ad largitorem horum donorum se precibus suis convertere debet, ut illa conferat, conservet & augeat. Quod monitum est Jacobi *Epist. cap. I. v.* 5. 6. *Si quis autem ex vobis sit destitutus sapientia, petat a Deo, qui dat omnibus simpliciter, & non improperat, & dabit ei, petat autem in fide.* Impetrata dona fideliter deinde sunt excolenda per dili-

diligens scripturæ scrutamen, & ut in actum ea ecclesiæ minister deducat per doctrinam in concionibus, juventutis catechisatione, ægrotorum ac sanorum privata visitatione. Conf. Dn. Christoph. Matth. Pfaff. von den Mängeln der Geistlichen *cap.* 1. §. 9. & *cap.* 2. §. 1.

III. At annon omnium hæc intentio & desiderium est, ita fungi sacro ministerio? eorum exempla, qui molliorem vitam affectant, & officia ambiunt a pinguiori reditu, docent, non paucos esse, quibus magis cordi sit laborare pro commoditate vitæ, quam pro animarum salute. Christus *Matth.* X. 11. discipulis suis præcipit, ut, in quamcunque urbem aut vicum introiverint, exquirant, quis in illa dignus sit, nempe audire verbum, & illic maneant, usque dum exeant. Quod explicatur: ne leviter migrent de domo in domum, sed uno quasi spiritu in ea urbe legationem expediant. Ad hunc locum Matthæi Baro de Canstein *in Harmonia sua Evangelist.* P. 4. p. 451. hoc scholio utitur: Die Liebe zu Gemächligkeiten dieses Lebens ist eine grosse Hinderung der redlichen Ausrichtung des Predig-Amts. Wer diese Liebe hat, wird lieber bey Reichen als Armen seyn, da doch das Amt bey den Armen, wie am nöthigsten, also auch wol am fruchtbarsten ist, und man unter den Reichen wol eher mit verterben, als sie aus dem Verterben reissen kan. Qui ergo in munere pastorali ita versantur, ut quidem agant, quod quodammodo ad id pertinet, usum tamen auditorum non omni ex parte promovent *Act.* XX. 20 *seq.* 2. *Cor.* II. 17. illi id turpiter deserunt, & in fugam se dant, non quidem corporis, sed tamen animi, quæ æque in vitio est, ac quæ a mercenario fit corporali discessu a grege *Joh.* X. 12. *seq.* quam Deus severe improbat, & suam contra tales fugientes pœnam minatur. *Hesekiel* XXXIV. 8. *seq.*

IV. Et vel hoc unico exemplo docere licet, ne quidem clericos abundare sanctitate, sed quoque in humanos lapsus incidere, & cum aliis hominibus id commune habere, quod in multis impingamus omnes. *Jacobi* III. 2. Nomen clericorum, quod datum illis, qui sacris operantur, deducunt a voce κλῆρος, sors, hereditas, peculium, & eo significant, in V. T.

fuisse

fuisse istas personas lectum Dei populum, cui Deus ex divisione terræ Canaan nihil tribuerat, sed ipse ejus pars hereditatis sorte quæsita esse volebat. *Num. XVIII. 20. Deut. X. 9. XVIII. 2. Ezech. XLIV. 27.* Quia vero in N. T. omnes in Christum credentes nomen clericorum merentur, cum sint per Christum lecti ad occupandam sortem & hereditatem sanctorum, *Act. X.* 34. 35. 1. *Petri V.* 3. *Ephes. I.* 11. 14. *Coloss. I.* 12. constat quoque, solis ministris ecclesiæ, cum exclusione aliorum nomen clericorum non posse tribui jure divino. Divisio personarum in clericos & laicos invaluit demum post excessum Seculi II. cum Episcopi & Presbyteri hierarchiam quandam meditarentur, & sibi eandem potestatem, quæ olim Judaicis Sacerdotibus data erat, arrogarent. Cum enim prædicatum *Cleri*, ex dispositione divina jam relata, proprie Sacerdotibus & Levitis debeatur, & sacerdotes plebi opponebantur, cæteri fideles in ecclesia plebs & laici dicti sunt *c.* 1. *Dist.* 21. Dn. Böhmer *Diss. Jur. eccles. antiqu. ad Plin. & Tertull.* 6. *§.* 4. *seqq. & de Orig. præcip. mater. Jur. Eccl. cap.* 5. §. 16. *pr.* Arnold *in Delineat. primor. Christian. l.* 2. *cap.* 11. *§.* 14. Cæterum hoc discrimen tolerari potest ut humanum, & receptum quoque in Protestantium ecclesiis est, ex quo, qui sacras functiones obeunt, ab aliis discernuntur, & earum respectu præ laicis prærogativam habent, exclusa omni reliqua, quam in Romana ecclesia prætendere moris est. Bernhard von Sanden *Disp. de Prærogativa Clericor. præ Laicis.* Baro de Wernher *in Princ. Jur. Eccl. Protest. cap.* 1. §. 2. 6. *seqq.* Speciatim clerici dicuntur Pastores, sacerdotes, item ecclesiæ, verbi divini ministri. Germanice Prediger, Pfarrer, Priester, Geistliche, Selensorger. Spener in den Lebenspflichten p. 601.

V. Vocabulum *Excessus*, quod in Rubro nostro continetur, a verbo *Excedere* natales suos ducit. In reali sensu actionem illicitam connotat, qua ultra modum, officio singulorum lege præscriptum, quid attentatur, & nimis, quam fieri debebat, agitur. Jure Canonico inter excessum & crimen varie distinguitur. vid. *Tit. X. de Excessib. Prælat. & Subditor.* Ille neglectum regularum, mores efformantium, & officia, maxime clericalia,

ncalia, determinantium, quo vel in exceſſu vel defectu peccatur, infert; hoc factum illicitum concernit, rem publicam turbans, & a legibus ſub gravi pœna prohibitum. Ille primario ab his tantum committitur, quibus certus & determinatus modus vivendi præſcriptus eſt; hoc a quibuscunque tam laicis, quam clericis. Ille leviter & ſine ſtrepitu forenſi caſtigatur; hoc prævio Proceſſu criminali publice plectitur. Jure civili, ſi levior exceſſus ſit, a decoro & honeſtate morum devians, magis paterno more corripitur, quam punitur & magiſtratus cognitioni ſubjicitur *L.* 1. *§.* 10. *ff. de Officio Præf. Urb. L. un. C. de Emendat. Propinqu. L.* 3. *&* 4. *C. de Patr. poteſt.* Si gravior eſt, inter exceſſum & crimen non diſtinguitur, ſed ille pro delicto, ſcelere, maleficio accipitur, & excedens delinquentibus annumeratur, contra quem, ut alium delinquentem, ad pœnam legibus ſtatutam proceditur. Vide fuſius Dn. Böhmer. *Diſſ. de Exceſſuum Pœnis & in Jure Eccl. Proteſt. T. V. libr.* 5. *tit.* 31. *p.* 511. 521. 527. 540. *ſeqq.* Ex quibus cum appareat, *Exceſſus* vocabulum & leviores & graviores transgreſſiones ſignificare, ſcopo noſtro id, ad tractandos clericorum leviores & graviores exceſſus, non incongrue inſerviturum eſſe exiſtimamus. Germanico idiomati conveniet, ſi dicatur eine Ubertretung, Verbrechen, Fehltritt, Laſter, Ubelthat. Cumque omnis exceſſus contra præſcriptam legem fiat, lex autem non fruſtra delicta prohibeat, ſed excedentes pœna perſequatur, rerum connexio poſtulat, ſimul exponere, quæ in excedentes miniſtros eccleſiæ pœna ſit conſtituta. *Pœna* autem a puniendo vel pœnitendo originem habet, vel juxta alios a voce pendo, dum pœnam quaſi debitam pendimus, ſeu ſolvimus ac ſuſtinemus. Martini *in Lexic. Philolog. voce Pœna.* Et nomen hoc *Pœna* tertium eſt, quod Rubrica noſtra præ ſe fert.

VI. Nobis hic Clerici exceſſus erit: TRANSGRESSIO LEGVM A MINISTRO VERBI DIVINI COMMISSA ET SVPERIORIS POENAE SVBIECTA. Non exiſtimandum, a ſummorum Imperantium poteſtate exemptos haberi Clericos delinquentes, ſed ad illos etiam pertinere iſtud Pauli *ad Rom. XIII.* 1. *Omnis anima* i. e. omnes homines, nemine excepto,

cepto, *magistratibus subjecta esto.* Budd. *Theol. Moral. P.* 2. *c.* 3, *S.* 7, *§.* 120. Magistratus hic est ille, cui in territorium suum a Deo datum est imperium, & sic in omnes in eo consistentes homines, qui id revereri debent cum subjectione, sine distinctione status vel ordinis. Constat enim ex V. T. etiam clericos seculari potestati subjectos fuisse *Levit.* X. 6. 7. 16. *seqq.* 2. *Sam.* XV. 24. *seqq.* Et ipse summus Sacerdos, quamvis in quibusdam, cultum sacrum concernentibus, praerogativam prae Rege habuerit, in aliis tamen Regi subjectus fuit 1. *Sam.* XXII. 15. vid. Lundius **in den Jüdischen Heiligthüm** *l.* 3. *c.* 11. *p.* 452. In N. T. ipse Christus, cum suis Apostolis, se potestati Imperatorum subjectum esse agnovit *Matth.* XVII. 27. *Joh.* XIX. 11. conf. Cocej. *de Jurisd. in Territ. & plur. loc. concurrent. potest. Tit.* 3. Concludendum ergo: ob delicta sua etiam clericos foro magistratus civitatis subjectos esse, & ab eo commerita poena affici posse.

VII. Equidem quia clerici homines sunt, a lapsu & humanis erroribus non magis mundati, ac alii mortales, qui in testaceis vasculis suum habent thesaurum 2. *Cor.* IV. 7. quia Deo quoque placuit, ut per homines hominibus sua voluntas & coelestis doctrina proponatur, non statim omnes eorum actiones abnormes, ut crimina, accusandae, ac magis, quam in laicis, exaggerandae, & ab illis angelica quaedam puritas exigenda. Ferendi illi magis aequo animo, & ab infirmitate humana excusandi. Nam hic quoque considerandum, quod dictum ab Imperatore: *In nullo penitus peccare, divinitatis magis, quam humanitatis esse in L.* 2. §. 14. *C. de Vet. jur. enucl.* Ob adeo benignum judicium vero, quod erga clericos excedentes ab aliis ferendum est, par est vicissim, ut & ipsi lubentes agnoscant suos excessus, quod proderit ad aliorum emendationem, & ipsius animi sui levamentum. Hoc facientes, Pauli exemplum sequuntur, qui sponte fatebatur, se dignum non esse, ut Apostolus vocaretur, quia persecutus ecclesiam, & qui gravissimorum criminum se reum esse agnoscebat, quanquam talia ignorans & expers fidei commiserat 1. *Cor.* XV. 9. 1. *Tim.* I. 13.

VIII. Neutiquam tamen graviores clericorum excessus, qui etiam gentilibus abominationi sunt & ab illis condemnantur, ad illam excusationem pertingunt, & sub tegumento humanæ imbecillitatis eos palliare licet. Levia admissa, ex communi mortalium corruptione resultantia, qualia sunt ambitio, avaritia, invidia, agresti mores &c. merentur in illis quodammodo excusari. Si contra officia, quæ facienda aliis inculcarunt, peccasse deprehenduntur, ut in aliis hujusmodi excessus observantur, &, ceu corruptelæ civitatum, in foro humano puniuntur, ita in clericis graviores apparent, non ex natura facti, sed ob qualitatem perpetrantis, qui in quodam excellentiore gradu prædicatis officiis debebat satisfacere & exemplum esse gregis 1. *Petri V.* 3. Pufend. *de Jure N. & G. l.* 8. *c.* 3. *§.* 20. Nullum tunc imbecillitatis prætextum, nec ullum ignorantiæ velamentum prætexere possunt. Dum constituti erant, ut oves errantes corrigerent, ipsi per sua vitia illis errandi ansam ministrant; dum ad imitationem Christi auditores excitare debebant præeundo bono exemplo, suis sceleribus illis præiverunt, quod imitati diabolum, quod satis grave scelus in ministro ecclesiæ ponit, ita ex Nicolao de Clemangiis Ziegler *de Clerico renit. §.* 48. add. Seckendorf **im Christen-Staat** *lib.* 3. *cap.* 4. §. 1. & 2. Inde in V. T. summus Sacerdos ob peccatum suum, quo ecclesiam offenderat, pretiosius sacrificium offerre tenebatur, nam id, propter grave scandalum datum, in ipso magis enorme æstimabatur, quam in alia persona minoris conditionis. *Levit. IV.* 3. *seqq.* Lundius *c. Tr. l.* 3. *c.* 40. *n.* 6. *p.* 600.

IX. Exempla clericorum, qui ab omni genere delictorum notari possunt, historia suppeditat. Jam a Seculo III. & adhuc durantibus persecutionibus, ex Origene, Cypriano & aliis Patribus observavit Celeberr. Dn. Joh. George Pertsch **in der Kirchen-Historie** *Seculo III. cap.* 1. §. 9. fuisse præpositos Ecclesiæ Episcopos ac Presbyteros avaros, tyrannos, indoctos, & a vera religione alienos, officium sacrum ambientes, ut lucrum quærerent, cui magis, quam animarum curæ, fuerunt dediti. Illos ab otio incidisse in luxuriam, delicta

carnis

carnis, stupra, adulteria. Invidiam inter eos regnasse, a qua adintestina bella, rixas, acerbissima odia, seditiones prolapsi. Episcopos audacter jactasse, se ab humana potestate exemptos & soli Deo subjectos, ac ad rationes suarum actionum reddendas obligatos esse, ut ob hos excessus querelae etiam audirentur de Pseudo-Episcopis & Anti-Christo apud Cyprian. *Epist.* 72. Ab horum autem exemplis inferri potest: nullam ministris ecclesiae fieri injuriam, si statuatur: inter eos quoque reperiri delictis contaminatos, nec, in contemptum sacri ordinis, ab hostibus eorum tantum de illis effingi scelera. Excessus, qui a clericis committuntur, juxta Schilterum *in Instit. Jur. Canon. L.* 1. *tit.* 19. vel *adversus regulas officii ecclesiastici sunt* in doctrina & moribus; vel *extra officium suum delinquunt.* Utriusque generis excessus sunt vel *leviores*, vel *graviores*. De praecipuis eorum, juxta hanc partitionem, nec non de poenis, quae inprimis in Protestantium Ordinationibus ecclesiasticis constitutae sunt, in praesentiarum agere, institutum nostrum erit.

X. In modo ad officium promovendi excessum clericus committit, si se ad illud non legitime vocari exspectat, sed id praeoccupat pretio vel alio obliquo modo. Delictum hoc SIMONIA vocari solet, a Simone Mago, qui a Petro dona Spiritus S. emere tentabat, de quo *Actor. VIII.* 18. *seqq.* quod facinus ad comparationem munerum sacrorum postea applicatum fuit, & qui, interveniente pretio, munus ejusmodi sibi comparavit, dictus Simoniacus, vid. Brunnem. *in Jure Ecclef. L.* 2. *c.* 18. §. 2. Cum vero Simon hoc intenderet, ut pro modica pecunia facultatem illam consequeretur, quam ad miracula edenda habebant Apostoli, & is postea ex avaritia majus lucrum extorquere posset ab iis, qui dona Spiritus S. ab ipso accepturi essent; econtrario emptor officii ecclesiastici intendat, ut dignitatem & emolumenta per illud obtineat, evidens est, in hoc facto ne quidem umbram peccati Simonis contineri. Caeterum redemptio muneris ecclesiastici sub crimine manet, quae prohibita in *L.* 31. *C. de Episc. & Cler.* canonisata in *c.* 5. *C.* 8. *qu.* 1. quia insigne

B 2 praeju-

præjudicium Ecclesiæ attrahit, dum, exclusis dignioribus, sæpe inepti & indigni ob datum pretium præferuntur, qui postea se ab officio ornant & pascunt, ecclesiam vero divexant & perdunt. Utut vero ista redemptio adhuc ab aliquibus Simonia juris humani s. ecclesiastici falutetur, ab aliis tamen rectius ad ambitum, crimen seculare & publicum, refertur. *t. t. ff. & Cod. ad L. Jul. de Ambitu.* conf. Dn. Pertsch *Tr. de Simonia & Dissert. de Involucris Simoniæ detectis cap. 2. §. 5. seqq.* Ad terrendum vocatum ad munus ecclesiasticum, ne obliquo aliquo modo ad illud accedat, ex Rescripto Regis Borussiæ D. Friderici I. de Anno 1698. & 1699. omnes in Borussia sic Candidati Ministerii S. jurare tenentur, quod, ratione sacerdotii obtenti, nihil præmii obtulerint, nec imposterum quicquam daturi sint. Se quoque ad officium non pervenisse sub promissione matrimonii, aut ulla alia specie lucri alicui facta, de quo juramento peculiari Dissertatione actum vide a Dn. Reinholdo Frider. Sahmio sub titulo: *de Juramento Simoniæ a Candidatis S. Ministerii in Consistor. Regni Prussiæ præstando.* In aliis locis pari rigore a promovendis ad officium sacrum, ad præcavendum hunc ambitum, juramentum exigitur, ut in Ducatu Olsnensi Silesiæ, ubi vocati non prius ordinantur, quam si, se & cognatos suos pro officio a datione vel remissione crediti immunes, & ita innocentes esse, juraverint.

XI. In doctrina & contra regulas officii clericus excedere deprehenditur, quando heterodoxa profert. Vox *αἱρέσις* in Scriptura pro Secta accipitur, quæ inter Pharisæos & Sadducæos diversa erat. *Act. V. 17. XV. 5. XXVI. 5.* Generalius opinionem denotat, quam quis ex pluribus eligit, & qua ab altera opinione dissentit. *c. 27. C. 24. qu. 3.* Inde variæ leguntur hæreses, inter veteres Philosophos ortæ, ac sententiæ eorum erant, quibus ab aliorum opinione dissentiebant. Cicero *Paradox. in Præfat. vers. Cato autem.* Observat. Hallens. *Tomo I. O. 15.* ubi de Hæresibus ex Philosophia Aristotelico-Scholastica ortis. In Jure nostro Rhetorum, Medicorum & aliorum hæreses recensentur *L. 6. §. 3. ff. de*

de Excusat. Tit. quæ nihil aliud sunt, quam electæ sententiæ, juxta quas suam doctrinam quilibet propositurus sit. Hoc in sensu vero ex hac voce nihil mali elici potest, sed ea mediæ significationis est. In odiosa & mala significatione profertur, quando per eam dissensio animorum & aberratio a fidei articulis, quibus æterna salus innititur, indicatur. vid. Lindhammer *ad Acta Apost. cap.* 5. *p.* 217. In malam partem accepta hæresis aliter tamen in sensu *theologico*, & aliter in sensu *civili* definienda venit. In *illo* error est in credenda ac agenda injurius, quem in Ecclesia christiana persona constituta apud se fovet & pertinaciter defendit. Hæc hæresis inter manifesta opera carnis refertur *ad Galat. V.* 20. quæ, cum lege sint vetita, inter peccata a salute æterna excludentia, s. mortalia ea reputanda est; & hæreticus, post unam vel alteram admonitionem, devitari jubetur. *Tit. III.* 10. vid. Conradus Hornejus *in Compend. Theolog. L.* 3. *cap.* 1. §. 16. Frider. Ulric. Calixtus *Tr. Theol. de Hæresi, Schismat. & Hæretic. pœn. Part.* 1. §. 6. 28. 29. 30. Dn. Reinbec. *ad August. Conf. Part.* 1. *Obs.* 20. §. 12. *seqq.* In *sensu civili*, & quoad effectus civiles, qui hæresi sunt superadditi, quod nempe inter crimina referatur, & hæretici pœnis subjiciantur, Hæresis dicitur constans a dominante, s. publice approbata religione, discessio, & hæreticus, qui ab illa pertinaciter discedit.

XII. Videlicet sunt articuli de mysterio SS. Trinitatis, de Gratia Dei, incarnatione & unico merito Christi, de obtinendæ æternæ salutis mediis, & plures alii, qui fundamentum fidei, cui salus æterna innititur, concernunt. De illis vero cum non omnium eadem fuit sententia, sed plures & diversæ extiterint, quælibet tamen fundata prætenderetur in verbo divino, quælibetque Ecclesia veritatem penes se esse, alteram in errore versari, statueret, vide Lactantium *L.* 4. *Instit. divin. cap.* 30. definiendum fuit, quænam sententia prævalere, ac in Ecclesia pro orthodoxa, & quæ credenda, reputari debeat, ut, qui eam sequerentur, pro membris Ecclesiæ orthodoxæ haberentur, ad cultum ejus, jura & beneficia admitterentur, alii, qui ab ista sententia secederent, pro hære-

ticis æstimarentur, illique a cœtu orthodoxorum excluderentur. Ab ista in Ecclesia approbata sententia dominans religio constituta intelligitur. Ita vero accidere potest, quando ab his pro veritate & ex voluntate divina necessario credendis agendisque aliquæ sententiæ accipiuntur, econtrario illæ ab aliis pro capitali errore declarantur, quod in sensu civili religio aliqua hæretica, quæ non est talis in sensu Scripturæ, & viceversa religio in sensu Scripturæ hæretica dici possit, quæ ob approbationem in sensu civili orthodoxa tamen est. Dn. Pertsch in *Elem. Jur. Canon. & Protestant. Jur. Eccl. Part. post. l. 1. tit. 4. §. 305.* Interim, cum quandoque in una regione plures Religiones æquali protectione, jure & justitia fruantur, ut fit in Germania quoad tres religiones *per Instrument. Pac. Osnabrug. art. V. §. 35.* omnes illæ in sensu civili erunt pro orthodoxis habendæ, & demum is pro hæretico declarandus, qui a dominante & publice approbata religione discedit, qualis non erit, qui, deserta Romana Ecclesia, ad Evangelicorum cultum sese confert. Dn. Böhmer *in Jure Eccl. Protest. Tomo IV. lib. 5. tit. 7. §. 2.*

XIII. Considerata indole hæreseos paulo exactius, ea, ut est diversa a recepta & publice approbata religione opinio, pro crimine reputari haut potest, quæ in foro humano propterea pœnis subjicienda esset, quamvis respectu Dei hæreticus in culpa esse, & ab eo puniri possit. Religio enim animi cultus est. Ne autem quis habeat de religione suam in animo opinionem, & ne eam his actibus externis exerceat, sed ut sibi aliam imprimat sententiam, eique, licet vera sit, assensum præbeat, ac cultum animi in actus hos externos deducat, nullo imperio humano effici potest, sed ad hoc opus est spiritualibus armis, quæ sunt doctrina de vera religione, ex ratione & verbo divino desumpta, qua zizania hæreseos exstirpanda 2. *Cor. X. 3. 4. 5.* Consequens est, nemini libertatem religionis auferri, aut ob hæresin a superiore vim ei vel hæreticidium inferri posse. vid. Spener. *Tr.* von der Freyheit der Gläubigen von dem Ansehen der Menschen in Glaubens-Sachen. Idem im Abdruck eines Christlichen Bedenckens

über

über gewisse Fragen *qu.* 3. Gerhardus Noodt *Diss. de Religione ab Imperio Jure Gentium libera*. Lutheri sententia contra hanc [illegible] *Tomo* 2. *Jenensi Germ.* p. 480. hæc est: Weltliche Obrigkeit soll zufrieden seyn, und ihres Dinges warten, und lassen glauben sonst oder so, wie man kan und will, und niemand mit Gewalt dringen, denn es ist ein frey Werck um den Glauben, darzu man niemand soll zwingen, ja es ist ein göttlich Werck im Geist, geschweige denn, daß es äuserliche Gewalt solte erzwingen. Item *Tom.* 4. *Jenens. germ. p.* 408. Man soll ja jeden glauben lassen, was er wolle. Glaubet er unrecht, so hat er gnug Straffe am ewigen Feuer in der Hölle, warum will man sie denn zeitlich martern, so fern sie im Glauben irren, und nicht darneben aufrührisch, oder sonst der Obrigkeit wiederstreben. Mit der Schrift und GOttes Wort soll man ihnen wehren und wiederstreben, mit Feuer wird man wenig ausrichten. *Tomo VII. p.* 144. Es ist nicht Evangelisch noch Christlich mit Verfolgung wieder die Ketzer zu verfahren.

XIV. Quia dictum: hæresin ab intellectu esse judicandam, forte facilius concedetur, quod eatenus ea extra reatum & pœnam sit. Cum vero simul pertinaciæ in ea defendenda sit mentio facta §. 11. hoc respectu hæresis etiam vitium voluntatis dicenda erit, & eapropter pœnæ capax, si quidem hæreticus pertinax rationes, luce quoque meridiana clariores, respuit, idcirco vero erit criminis sui satis convictus. Enimvero quis tam perspicax est, ut de animo alterius pronuntiare possit, quod satis convictus & tamen pertinax sit. Potest error esse in judicante, quod credat pertinaciam in alterius errore. Potest ipse, qui alium pertinacem dicit, in suo errore retinendo quam maxime pertinax esse, aut veritatem ineptis & futilibus argumentis propugnare, atque ita alteri justam in errore perseverandi causam præbere. Ratio quæ mihi clara videtur, potest esse alteri obscura. Neo sufficit dici: aliquem plurium concordibus suffragiis refragari, Nam multitudo non est certum veritatis indicium. Qui eam amat, non assentientium multitudine ducitur, sed rationum pondere. Nondum quoque de sententiæ suæ falsitate convictus dici potest, qui ad incitas redactus, & nihilominus in ea perse-

perseverat; nam fieri potest, quod pro sua sententia ideo non ulterius respondeat, quia instanti & gravi incommodo eam premi observat. Oportet infallibilem aliquam Ecclesiam supponi, a cujus determinatione habeatur pro pertinaci & convicto, qui in oppositis non acquiescit. At ubi locorum talis reperietur? conf. Philippus a Limborch, quondam inter Remonstrantes in eorum Gymnasio, quod Amstelodami est, Theologiæ Professor celeberrimus *in Theologia Christiana lib. 7. cap. 20. §. 4.*

XV. Non uno tamen argumento, sed pluribus doctrina hæc a Patronis suis propugnari solet: quod hæresis crimen sit, & hæreticus gravissimo mortis supplicio afficiendus. Prolixum foret ea hoc loco in medium proferre & examinare. Præstitit hoc jam laudatus a Limborch, qui *c. l. §. 11. seqq.* primo duodecim argumentis suppliciorum contra hæreticos iniquitatem solide evincit, deinde totidem argumenta adversariorum pro hæreticidio adducta pari soliditate ac eruditione confutat, ad quem, brevitatis causa, provoco. add. Gisbert. Voet. *in Polit. Eccles. P. 1. Tr. 4. cap. 3. p. 400. seqq.* Si tandem hæresis criminum numero adjungenda, quam sola ex se non habet, demum eorum notam contrahet, si se intra terminos intellectus & animi sit continere nescia, sed ad actus externos progrediatur, & hæreticus eam docendo apud alios disseminet, eaque illorum animos occupet, ut veram religionem deserant; si in civitate vel ecclesia factiones & seditiones excitet, atque ita publicam tranquillitatem pessum det. Ob hæc concurrentia demum animadvertendum in hæreticum pœna, quam Superior ex gravitate eorum justam esse putaverit. Voet. *d. l. lib. 4. S. 3. p. 390.* Coccej. *de Jure circa hæretic. §. 20.* vid. infra §. 55.

XVI. Ut vero puniri possit hæreticus, oppido constare debet, quod ejus sententia fundamento fidei contraria, & a tota ecclesia damnata sit. Unius vel alterius Doctoris sententia non sufficit ad damnandam alicujus opinionem, ut hæreticam, maxime cum ex invita consequentia eruatur hæresis. Nec ab errore circa adiaphora, qui nullum articulum

fidei

fidei attingit, quis statim ab hæresi notandus? Sunt nempe quidam ex clericis adeo temerarii, quod in qualibet causa, non declarata in verbo divino, ob diversam, quam ipsi faciunt, textus explicationem, sub prætextu tuendæ veritatis gloriæque divinæ, statim aliquem hæretici nomine malo in sensu traducant, revera eo proposito, ut bonam ejus opinionem imminuant, ipsi superiores illo videantur acrimonia ingenii & solertia judicandi, populo & Principi gratiores fiant, ut odia collegarum aliorumque contra eum excitent, &, quantum in ipsis est, efficiant, ut ab officio pellatur, solumque vertere cogatur. Spener *Conf. Theolog. Germ. Tom.* 3. *cap.* 6. *art.* 2. *sect.* 16. *&* *Conf. ult. Tom.* 3. *p.* 133. Joh. Fecht *in Scrutin. profligatæ ex ecclesia hæretificationis, ut vocant, Indifferentistis hodiern. oppositum.* Hoc facientes multo magis a crimine, & quidem HAERETIFICII Ketzermacherey, notandi sunt, quod crimen, dum a pravo affectu originem trahit, dudum quoque pro merita censura a viris cordatis castigatum, quin Principum decretis sub pœna statuta interdictum fuit. Böhmer *c. l.* §. 226. *seqq. & in Consult. & Decis. Jur. Vol.* 1. *p.* 532. Dn. Pfaff *Diss. de Crimine hæretificii.*

XVII. Affine hæresi est SCHISMA s. Scissio ab Unitate Ecclesiæ, in quam Christus ecclesiam coire & coalescere voluit. Illud committitur, quando communionis unitas tollitur, atque mutuum christianæ fraternitatis vinculum rumpitur, ob errores non fundamentales, sed ejusmodi, qui facile humanam infirmitatem comitari solent. Ab hæresi schisma differt, quod illa integritati fidei publice approbatæ, hoc integritati unionis ecclesiasticæ opponatur. Schisma dividitur in *Internum*, quod in solutione unionis in particulari ecclesia, per dissensiones & contradictiones contingente, consistit, quale in Ecclesia Corinthiaca sese exserebat, de quo Paulus queritur, quando dicit 1. *Cor. XI.* 18. *Primum cum convenitis in ecclesia, audio Schismata inter vos esse*, i. e. dissensiones & factiones, eo quod alius hujus, alius alterius Doctoris se discipulum profiteatur, &, ut disertius ob hoc malum Corinthios objurget, inquit: alios Paulum,

C alios

alios Apollinem, alios Cepham, alios Christum eligere 1. *Cor.* I, 12. Hodie in Romana Ecclesia notum est tale schisma inter Franciscanos & Dominicanos, inter Jesuitas & Iansenistas, qui sola Papæ autoritate continentur, ne in partes dissiliant. Caspar Calvorius *in Fissuris Sionis lib.* 17. *cap.* 3. & *Externum*, quo plurium ecclesiarum unio dissolvitur, quæ antea inter se eodem nexu conglutinatæ erant. Quamvis enim ecclesia in varios cœtus particulares, pro locorum diversitate, abierit, omnes tamen illi, velut unius fidei & spiritus consortes unam ecclesiam, quam catholicam dixerunt, constituunt, a qua unione per schisma in separatos cœtus disceditur, qui inter se non amplius communicant, intestino quasi bello impliciti. Historiam schismatum per plura secula in hac & illa ecclesia concinnatam vide a Calixto *c. Tr. Parte alt.* §. 14. *seqq.* & §. 38. *seqq.* Micrælio *in Hist. Eccl. L.* 3. *Sect.* 2. *p.* 895. *seqq.* Kranzio *Hist. Eccl. ad Sec. XVII. cap.* 3. *p.* 913. & pluribus in libri locis.

XVIII. Sequitur APOSTASIA s. totalis desertio & abnegatio christianæ religionis semel agnitæ, & Transitio ad Judaismum, Gentilismum vel Mahumedanismum *t. t. X. de apostat. & Reiterant. baptism.* Apostasiæ hujus exemplum dedit Iulianus Imp. qui ad Paganos, abolito christianismo, discedebat, & inde nomen Apostatæ accipiebat. Cuspinian. *de Cæsar. & Imp. Rom. sub Julio Apostata p.* 104. Buxhorn. *in Hist. Univ. p.* 307. Nec aliorum christianorum exempla desunt, qui vel ex metu instantis mortis, vel ex desiderio commodioris vitæ ad Turcarum sacra transierunt. Sagredo **in der neu eröffnet. Ottom. Pfort.** *cap.* 8. *p.* 292. Recentissimum exemplum memoriæ omnium obversatur Gallici Comitis de Bonneval, qui primum in Regis Galliæ, post Caroli VI. Imp. ministerio bellico fuit. Postquam vero ob injuriam, quam dixisse accusatus Gubernatoris Bruxellensis de Pry uxori & filiæ, Viennæ a Senatu Imperiali ad mortem, ab Imperatore vero, mitigata hac sententia, ad annuum carcerem & relegationem ex suis provinciis condemnatus esset, apud Venetos per Legatum Turcicum occasionem nactus, Constantinopolin

polin adeundi, ubi a Turcis in religione Mahumedana informatus, circumcisus, & Turca ac Caramaniæ Bassa factus, vide Merckwürdiges Leben des Grafen von Bonneval, vormahliger Käyserl. *General* der *Infanterie*, jetzo *Bassa* von Caramanien. Tanta est quorundam Christianorum levitas, ut ab abnegatione Christi, sui Salvatoris, Historia quoque suppeditare possit exemplum in ministro Ecclesiæ Protestantium. Adamus enim Neuserus, Pastor Ecclesiæ Heidelbergensis, est, qui pro Calvinismo primum Arrianismum, deinde Mahumedanismum, professus. Sultano ad hanc apostasiam per litteras ex Hungaria propositum suum significaverat, postea Constantinopolin ivit, ibi circumcisus, & eques Turcici Imperatoris factus, ultimo in summa desperatione ad inferos descendit. B. Struv. in der Pfälzischen Kirchen-Hist. *cap.* 5. §. 57.

XIX. Juxta Canonistas tres Apostasiæ species formantur, *Perfidiæ*, quæ in abnegatione fidei christianæ, ut dictum, consistit: *Inobedientiæ*, qua quis legem obedientiæ, superioribus debitæ, migrat, & *Irregularitatis*, quam desertores sacri Ordinis incurrunt. Verum cum illa inobedientiæ etiam referri possit ad apostasiam perfidiæ, quia quoque recedit a fide, qui promissam obedientiam non præstat, & Ordinis abjectio in S. S. fundamento careat, quod inter illicita sit, rectius apostasia unius tantum speciei Perfidiæ erit. Præterea posteriores duæ species eatenus tantum pro crimine æstimantur, si nulla Pontificis dispensatio accesserit. Ea accedente, extra crimen plane illæ sunt. vid. Comment. *ad Lancellot. Inst. l.* 4. *tit.* 4. §. 14. *Edit. Thomas.* Dn. Böhmer *Tomo I. P.* 1. *Consult. & Decis. arg.* 49. *n.* 139. *seqq.*

XX. Apostasiam perfidiæ grave quidem peccatum, non vero crimen esse, ex libertate religionis antea asserta, quidam statuere volunt. Titius *in Jure priv. l.* 9. *c.* 15. §. 30. Alia tamen, & quod non ex quodam intellectus errore, sed contracta malitia apostasia hæc procedat, adeoque crimen sit, nobis sedet sententia. Non enim ille, qui a teneris in christiana religione informatus, ita in animo suo deinde persuasus esse potest, ut credat, paganismo, judaismo vel Turcismo

magis assensum dandum esse, quam christianismo. Postquam enim veritas christianæ Religionis a certitudine Christi nati, ab eximia doctrinæ suæ sanctitate, miraculis, non naturalibus, sed a solo Deo profectis, a morte Jesu & gloriosa ejus resurrectione, ab ipsorum Philosophorum gentilium obtrectationibus &c. satis corroborata; postquam porro præstantia religionis christianæ, quæ hominem ad æternam salutem ducit, & admirabiliter propagata fuit, omnibus aliis religionibus, utpote Mahumedanismo, qui ducit ad mundi transituras voluptates, ab ipsa etiam ratione damnatas; Gentilismo, qui semper fuit Deo abominabilis, ac Judaismo, a quo falso Judæi, postquam prophetiæ adimpletæ, alium Messiam exspectant, palmam præripiat, quæ omnia tum ab innatis, tum in infallibili verbo Dei traditis principiis Christiano satis nota sunt, vide Grot. *de Veritate relig. christian. l. 2. seqq.* Budd. *de veritate relig. christian. relig. Philosophor. gentil. obtrectat. confirmata* firmo talo conclusionem stare existimo: si, spreta horum cognitione, quis tamen religionem christianam ejuret, & pro ea in alia faciat professionem, eum gravissimi criminis, & non minoris, ac blasphemantem Deum, postulandum reum esse. Hujus conditio expresse pejor dicitur, quam ejus, qui fidem nunquam amplexus, & præfracte sibi prædicatam postea rejicit 2. *Petri II.* 20. ut a Judæis factum constat ex *Act. XIII.* 46.

XXI. Ob ATHEISMUM clericum christianum velle reum facere, videri posset aliquid paradoxi habere, quia Christum & ejus doctrinam publice profiteri, eamque, ut scitu necessariam, auditoribus imprimere, & tamen ab ea & divina Essentia animo aversum esse, negando Dei existentiam, ejusque providentiam, futuram hominum post mortem resurrectionem, & demum in altero seculo æternam & beatam eorum salutem, cum illa doctrina cohærere nequit, quia ista pernegatio eam oppido destruit, mendaciique arguit. Optandum esset, de talibus Atheis, e quorum animis omnis Dei agnitio & omnis religio est abjecta, nunquam cogitari, aut mentio de illis fieri posset. At cum eorum jam suo tempore

pore

pore meminerit David *Psalm. XIV. & LIII.* & exempla passim referant recentiora tempora, Dn. Walch in der Histor. und Theolog. Einleit. in die vornehmste Religions-Streit. P. I. c. 7. §. 2. *seqq.* Scriver im Seelen-Schatz *P.* 4. *homil.* 12. §. 78. *p.* 837. Melchior Lübeck *de Crimine atheismi cap.* 1. 3. & 4. Seckend. *in Addit.* im Christen-Staat *p.* 31. *seqq.* par erit credere, inter homines etiam atheismum theoreticum reperiri. Equidem ille, si pectori infixus maneat, utut in ordine ad Deum grave peccatum sit, in foro tamen humano pro crimine haberi nequit, quia statum publicum, ob ignorantiam ejus non turbat. *arg. L.* 18. *ff. de Pœn.* Titius *c. l.* §. 31. *seq.* Cum tamen vix fiat, quin atheus aliquando interna mentis suæ sensa in apricum proferat, & a plenitudine cordis sui lingua exundet, atheismum ejus tunc in crimen vocandum esse, non dubitare licebit. Lübeck *d. l. cap.* 6. Quod multo magis de ministro ecclesiæ statuendum, quia mentionem faciens, se nihil fidei tribuere, quod de Deo, mundi Redemptore, ac hominum æterna salute concionatus est, auditores suos facile corrumpere potest, ut cum ipso faciant, vel minimum de veritate religionis christianæ dubitare incipiant. Maxime hoc crimen ejus detectum erit, si persuasionibus innocentes ad scelera committenda v. g. fœminas ad stupra ac adulteria pelliceat, easque credere commoveat: Deum non existere, qui ulturus sit ab ipsis commissa, omnem religionem prætextum esse ad domandos homines, sine qua alias superiores ad obedientiam præstandam eos compellere non possint. Exempla sceleratorum hujusmodi pastorum proh dolor! adsunt.

XXII. Cæterum id, quod minister ecclesiæ atheus in officio suo egit, v. g. verbum Dei, quod ex præscripto sui autoris concionatus est, & Sacramenta, quæ ex Christi instituto administravit, suam autoritatem & efficaciam apud auditores habere, ut obligentur juxta illud vivere, *Matth. XIII.* 3. & a sacramentis administratis se omnis gratiæ divinæ participes factos esse, certo credere possint, non est, quod dubitemus, vid. *c.* 24. *de Consecrat. Dist.* 4. quia non a quali-

tate ministri Ecclesiæ, sed ab ipso Deo, cujus sunt, hanc efficaciam habent. *Joh. VI. 63. VII. 17.* Evangelium siquidem est virtus Dei ad salutem omnium in ipsum credentium, *Rom. I. 16.* ob quam virtutem etiam verbum Dei gladius spiritus dicitur, *Ephes. VI. 17.* a quo, qui id audiverant ab Apostolis, compuncti dicuntur in corde suo *Act. II. 37.* Conf. Spener. **in den Glaubens-Lehren** *P. 1. p. 175. & 243. in Consil. Theol. Germ. Vol. 3. p. 416. Vol. 4. p. 345. seqq. & in Consil. ult. P. 1. p. 228. P. 2. p. 88. P. 3. p. 67. seq.* Joh. Arnd. **im wahren Christenthum** *l. 5. c. 4.* Lindhammer *ad Act. I. v. 17. p. 41. seq.* William Cave *in Antiquit. Apostol. p. 736.* Excessus vero in hoc concionatore observatur, quod prædicando verbum, cui & autori ejus in animo suo contradicit, & omnem veritatem detrahit, id criminetur, & in ludibrium vertat. In eum reprehensio quadrat Psalmistæ: *Impio autem dicit Deus: quid tibi, ut enarres decreta mea, & assumas fœdus meum in os tuum. Cum tamen oderis disciplinam, & projeceris verba mea post te. Psalm. L. 16. seq.*

XXIII. Fidelis pastoris officium est, pravos auditorum mores & vitia obfirmato animo corripere & ad orcum rejicere. Multis auditoribus hæc correptio non ingrata est, quo eo melius ad agnitionem peccatorum perveniant, qui alias a consuetudine peccandi difficilius ad eam perventuri essent. Quare non reprehendendi, quando, relicta sua parochia, aliam adeunt, in qua plures possunt audire conciones censorias, ex bono hoc instituto, ut magis vitam suam ad regulam decalogi examinare discant, & emendare, quod in se taxandum deprehendunt. Aliis econtrario, quibus nullus animus est deponere seculi mores & carnis suæ irritamenta, divinorum Præconum admonitiones non tantum ingratæ sunt, sed insuper odio adversus eos flagrare incipiunt. At cum animarum cura his sit demandata, nihil de justo suo fervore remittere illis integrum est, sed instare debent omni tam justo, quam injusto tempore. Nunquam enim semen verbi divini vacuum decidit, sed prosperatur, quod emissum est. *Esaiæ LV. 10. seq.* Qui remissius hoc officio fungitur, muti

canis

canis culpam ab hac sua tepiditate contrahit, qui contra lupum latrare nescit, sed tempori servit, jacet & amat dormitationem *Esaiæ LVI.* 10. 11. Wernsdorf *de Fervore, Tepore & Frigore Theolog.* §. 16, 18. 25. *seqq.* Equidem si hunc vel illum pertinaciter delinquentem satis inclamavit, sed omnes admonitiones ejus spretæ & in ludibrium versæ sint, melius erit ulteriorem correptionem omittere, & divino judicio incorrigibilem hominem tradere. Quod ipsum Salvatorem monito suo velle non difficile est credere, quando dicit: *Ne date quod sanctum est canibus, nec projicite margaritas vestras coram porcis, ut non conculcent eas pedibus suis, & conversi lacerent vos. Matth. VII.* 6. Pro sancta enim & margarita correptio, quæ ex verbo Dei facta, haberi debet, hanc autem non esse projiciendam porcis & canibus, Christus jubet. Spener in den Lehrers-Pflichten *P.* 2. *p.* 122.

XXIV. Facile vero fieri potest, quod modum in hac correptione minister E. excedat, hinc prudentia opus, ut intra justos limites officii sui sese contineat, & sibi a præcipitantia caveat, justo Zelo retento. Dn. Marperger im wahren Lehr-*Elencho P.* 1. *cap.* 5. Peccatores coram omnibus redarguere Pauli monitum est ad Timotheum 1. *Tim. V.* 20. quo emendetur qui peccavit, & cæteris timor incutiatur, id tamen, observatis admonitionum gradibus & illæso amore erga proximum, fieri debet. Ubi Epanorthosis & ELENCHUS ex pravo animo procedit, ut prius persona, quam convicta est de crimine, ejus arguatur, a maledicentia non excusabitur, & quod redarguentis animus liber sit ab injuriando, haut judicari poterit. vid. Spener *Consil. Theol. Germ. Vol.* 1. *cap.* 2. *art.* 4. *S.* 5. & 7. Hunc pravum animum habere quoque patet, qui in controversiis ad deferendam sententiam suam, quam in rebus fovet, non fundamentalibus fidei, nec in lege divina clare determinatis v. g. de ducenda defunctæ uxoris sorore, polygamia &c. contra adversarium cœlum & terram movet, ut cum ignominia prostratus videatur. Verum cui volupe tali modo sibi contradicentem ad castra sua trahendi, non e zelotarum numero est, qui in morali

rali disciplina libertatem ratiocinandi cuique salvam esse relinquendam, & contrarium stringentibus rationibus evincendum, prudenter statuunt. Hinc etiam illos minorem fructum fervoris sui experiri palam est, ut potius videant, majorem dissentientium placita apud alios assensum obtinere.

XXV. Notandus porro in Clerico excessus venit A PERFUNCTORIA OPERA in functionibus suis. Reperiuntur qui plus temporis in rem œconomicam impendunt, quam in animarum curam, & magis conversationibus otiosis dediti sunt, quam meditationibus sacrarum litterarum. In visitandis ægrotis difficiles se exhibent, difficiliores adhuc in domesticis parochianorum suorum visitationibus, ad explorandos in christianismo eorum profectus, & ad adjuvandos eos per salutarem informationem. vid. Lindhamm. *ad Act. Apostol. cap.* 20. *v.* 20. *pag.* 691. Pfaff. *de vitiis eorum qui sacris operantur cap.* 1. *§.* 9. *n.* 6. Sæpe homilias a se ipsis habendas committunt aliis, aut, si ipsi tandem suggestum ascendant, requisitum in vinea laborem non præstant, sed partim ex jejunis præmeditationibus verbum Domini concionantur, partim tempus scholasticis controversiis consumunt, ut auditores, cupidi audire ea, quæ animabus sunt salutaria, non edocti nec meliorati recedant. Meliorem fructum pastores homiliis suis promoturi essent, si sine venustatis, verborum ac gestuum fuco, perceptibili voce de Christi doctrina selectas & ad rem facientes propositiones auditorum animis imprimerent, eosque ad debitam attentionem excitarent. Dn. Mosheim **in der Sitten-Lehre der Heil. Schrifft** *cap.* 2. *p.* 490. *seqq.* Seckendorf **im Christen-Staat** *l.* 3. *c.* 10. §. 1. *seqq.*

XXVI. Excessus hic a perfunctoria opera gradu major est, si monitus sincere & bono animo, ut diligentius officii sui sit memor, hoc in malam partem interpretetur, & pro injuria accipiat, imo pro crimine clericus. Qualitate tamen delictorum, etiam subtilissime, pensitata, inter illa hanc admonitionem stare, credo oculissimum quoque haut inventurum esse. Ad pseudinjurias ista pertinebit, quas pati dicunt illi,

qui

qui nimium affectionis pretium de se statuunt. vid. *Diss. nostra de Pseud-Injuria.* A pluribus exemplis, quæ in contrarium prostant, & nihil aliud sunt, quàm fructus male dispositæ operæ, nemini difficile est judicare, sublicacula esse qualiacunque exprobrationes istiusmodi, ne pudenda magis objiciantur. De obligatione ad fidelem operam in Officio ecclesiastico, & insigni in ecclesiam, ab ea neglecta, redundante damno vid. Arnold **in der Geistl. Gestalt eines Evangel. Lehrers nach dem Sinn und Exempel der Alten** *cap.* 16.

XXVII. Progrediendum ad Excessus, qui ex clericorum moribus propullulant. Ex illis non ultimus est FASTVS eorum, tam *crassus*, qui in affectata gloria, vestitu vel splendore in re familiari se exserit, quam *subtilis*, qui sub larva virtutis & humilitatis procedit. Ziegl. *de Episcop. lib.* 4. *cap.* 8. Ab utroque E. minister exosum se reddit Deo & hominibus, cum ubi superbia, ibi amentia quoque *Marci VI.* 22. Superbus de supra alios effert, aliosque cum despectu habet. *Syrac. X.* 7. 1. *Tim. III.* 6. unde vicissim in aliorum odium & contemptum venit. Sive vero a donis naturæ, ut eruditione, vel fortunæ, ut divitiis, dignitatis statu, sive ab alia prærogativa intumescat, & sese efferat, monito Pauli obstrepit, qui ad humilitatem eum revocat, verbis: *Quis te ab alio discernit? quid autem habes, quod non acceperis, & si accepisti, cur gloriaris, quasi non acceperis* 1. *Cor. IV.* 7. Exemplo ejusdem Apostoli, quem tamen Deus immediate ad Apostolatum vocaverat, *Act. XXVI.* 16. contrariatur, qui de se dicit: *ego sum minimus Apostolus, qui non sum dignus vocari Apostolus, propterea, quod persecutus sum Ecclesiam Dei* 1. *Cor. XV.* 9. Ipse sapientiæ superne datæ indigentem se esse commonstrat, quæ pura est, mansueta, plena pacis & misericordiæ, quæ est sine dissidio *Jacobi III.* 17. Non incongrue ad superbia inflatum clericum applicari possunt verba, quæ leguntur apud Lindhammer. *c. Tr. cap.* 17. *p.* 622. & sunt: **Was erhebest du dich dennoch viel, du arme Erde und Asche? Jetzt bist du zwar ein schöner Mensch, GOtt weiß aber die liebe Zeit, da du in deines Vaters Lenden noch ein kleiner Blutstropfe warest, von irdischer Speise**

erwachsen; must dich noch von der Erden und auf der Erden erhalten, und wirst bald eine Hand voll Staubes und Erden seyn. Noch bildest du dir so viel ein, und gehest hoch her mit deinem stoltzen Sinn, als wärest du ein grosser Himmels-Fürst gebohren, da du täglich die Erde, deine arme Mutter, mit Füssen trittst, und, wenn mans hinten und vorn, am Anfange und Ende besiehet, ein armer Erden-Wurm bist. Drum bleibe fein niedrig und demüthig, wie dich dein Ursprung lehret.

XXVIII. Succedit AVARITIA, quæ insatiabilis est cupiditas plura habendi, sed & *Radix omnium malorum* 1. *Tim. VI.* 10. *add. c.* 3. *Dist.* 23. Mala & nocentissima ejus sunt effecta. Producit fraudes & injustitias omnis generis. Nam dum avarus cupiditatem suam explere studet, eo per fas & nefas contendit. *Esaiæ V.* 8. *Jerem. V.* 26. *Amos VIII.* 4. *Syracid. XXVII.* 2. Hominem immisericordem & durum erga miseros reddit. Quia animus avari opibus congerendis tantum intentus, Deum non recte veneratur, nec pietatem sectatur. Facit enim avaritia, ut homo verbum Dei non audiat, quod eam damnat & vitam spiritualem exigit, vel si audiat, rideat Pharisæorum avarorum instar. *Luc. XVI.* 14. Accidit, quod avarus minister ecclesiæ pleraque officia sacra ex lucri & quæstus cupiditate expediat, etiam vocem suam in quæstum conferens, ut ait Ziegler *c. Tr. cap.* 11. *§.* 12. Quid mirum, quod USURARIA PRAVITAS ipsi pro consuetudine sit, & ab ejus exemplo alii in societatem trahantur, cum tamen ea scelus sit, quod in laicis quoque damnatum *L.* 20. *C. de his qui not. inf.* Brunn. *Jure Eccl. L.* 1. *c.* 6. *m.* 10. §. 6. Meminisse vero oportet, Deum in hoc seculo avaros etiam pro exemplo punivisse, ut filios Samuelis, per avaritiam munera rapientes 1. *Sam. VIII.* 1. *seqq.* Judam, qui ex avaritia proditor Domini fiebat, postea stimulis conscientiæ agitatus, & eo adactus, ut sibi ipsi violentas manus inferret *Matth. XXVII.* 7. *seqq.* aliosque *Act. V.* vide 1. *Cor. VI.* 9. 10. *ad Ephes. V.* 5.

XXIX. Quam laudabile esset, si de ministris E. continuo vox audiretur, eos non esse ebrios, juxta *Act. Apost. III.* 15. ast contrarium EBRIETAS etiam in illis deprehenditur. Ut vero

ea in

ea in omnibus hominibus pro gravi excessu & tali reputatur, ob quem tot comminationes pœnarum propositæ *Esaiæ V.* 11. *seqq. Gal. V.* 21. 1. *Cor. VI.* 9. 10. ita multo gravior in illis est, qui exemplo sobrietatis aliis prælucere debent, sed a sua ebrietate cum vituperio officio suo præsunt. 1. *Cor. X.* 6. *seqq.* 1. *Petri V.* 3. Budd. *in Theol. Moral. l.* 3. *c.* 2. §. 23. Egregium monitum est Innocentii III. in *c.* 14. *X. de vita & honest. cler.* datum clericis crapulosis & ebriosis, *ut a crapula & ebrietate se diligenter abstineant, vinum sibi temperent & se vino, cum ebrietas mentis exilium inducat & libidinis incentivum promoveat.* Observatum hoc malum, quod in detrimentum ecclesiæ proserpat, a B. Spenero, qui *Consil. Theol. Germ. Vol.* 1. *p.* 780. *seq.* id justo suo zelo persequitur, quando dicit: Solcherley Sünden aber achte ich allemahl bey einem Prediger, gegen andere zu rechnen, vor doppelt, und daher auch doppelter Straffe schuldig. Denn es werden dergleichen trunckene Prediger Schandflecken ihres heiligen Amts und Verführer ihrer Gemeine. Er grössert die Schwere der Sünden, daß mit solcher vollen Seele und Leib der Heil. Dienst GOttes hat müssen verrichtet werden, das aber vielmehr eine Entheiligung desselben zu achten ist. Es möchte ihm mit Recht zugeruffen werden, was *Ps. L.* 16. u. f. GOtt zu dem Gottlosen spricht: **Was verkündigest du meine Rechte, und nimmest meinen Bund in deinen Mund? so du doch Zucht hassest, und wirfest meine Gebote hinter dich.** Es soll der Dienst des HErren, und die Verkündigung des göttlichen Worts mit solchem Hertzen geschehen, das voll des Heil. Geistes sey, damit man aus demselben rede: dieser aber wird vertrieben, und kan nicht zugleich seyn, wo der Wein überflüssig eingehet. Wie der Apostel deutlich zu verstehen giebt durch seinen Gegensatz *Ephes. V.* 18. Und wie solte der Heil. Geist, so ein Geist der Mäßigkeit und Nüchterkeit ist, sich gesellen mit dem Sauf-Geist und Teuffel? Daher gesetzt, daß auch die den Worten nach beste Predigt von einem solchen Vollzapfen gethan würde, so ist sie doch von seiner Seiten nichts anders, als eine **Entheiligung des Nahmens GOttes, und gleichsam eine Einbringung eines frembden Feuers in das Heiligthum GOttes**, welches dort an **den Söhnen Aarons**, da sie truncken gewesen, der HErr mit dem Feuer

tode gerochen hat. *Levit. X.* 1. 2. 9. 10. Solte auch das erbaulichste in solchen Predigten vorkommen, so wird es doch bey denjenigen, so das Aergerniß vor sich sehen, nicht so viel bessern, als ärgern. Ut omnis via ad ebrietatem ministro ecclesiæ sit præclusa, & is esse possit sine scandalo apud auditores, ne quidem Tabernam vinariam aut cerevisiariam, ut partem salarii, illi habere permittitur. Carpz. *Jurispr. Eccl. lib.* 1. *def.* 65. Nisi ob paupertatem ecclesiæ aliunde se vivendi remedia habere nequeat. Quo casu quidem illi reditus ex istis assignantur, sed ne eas ipse exerceat, verum per alios, & ad nullam intemperantiam. Stryk *in not. ad Br. Jus Eccl. d. l. §.* 4. utque Ecclesia in meliorem statum redacta, hic casus exceptus finem suum habeat, quia tunc ejus ratio cessat, in qua se unice fundabat.

XXX. Mores clericorum culpabiles reddit amor & facilitas ad RIXANDUM, quæ doctrinæ Apostoli contraria, qui requirit, ut minister E. sit lenis, non litigiosus 1. *Tim. III.* 3. Nonnullis vero sedet animus, dicta & facta aliorum, quæ cum suis institutis non conveniunt, sine ulla causa vellicare, autoritatem & fidem illis detrahere, quin illico apud alios suspecta reddere, quæ saltem sub alia verborum formula, quam quæ vellicatori usitata, prolata sunt, licet sub ea nihil a fundamentis orthodoxæ religionis alienum contineatur. Verum pruritus hic ad altercandum a divino placito, quod est, ut simus in pace, 1. *Cor. XIV.* 33. penitus recedit. Si cui est facultas a Deo data ad aliquid proferendum, id libere proferat, & cum aliis communicet, sed tamen ut alii par sit facultas relicta, aliam super ea re proferendi sententiam, & hoc sine bile ac contentione. Hic enim modus justus demum dici potest, in pace & amore tractandi divina negotia. Alius & qui a pravis affectibus procedit, proximo debitum amorem detrahit, & odiis ac gravioribus subsequentibus malis manum porrigit, inter quæ non est minimum, quod scissionem & scandalum in ecclesia excitet, & auditores hæsitare incipiant, num dictis & prædicatis assentiri, aut an ulli religioso cultui aliquid deferre debeant. vid. Ziegl. *de Episc. l.* 4. *c.* 10. Dn. Marperger. im wahren Lehr- *Elencho Part.* 2. *p.* 357. *seqq.*

XXXI. Bo-

XXXI. Bonis moribus & honestati quoque clericorum non leviter adversatur LVSVS aleæ, chartarum aut alius hujus generis c. 15. X. de Vita & honest. cleric. Tales ludos in clericis Iustinianus Imp. jam suo tempore damnavit L. 25. & 34. C. de Episc. audient. qui in Nov. 123. cap. 10. suam Constitutionem his verbis repetit: *Interdicimus autem sanctissimis Episcopis, presbyteris & diaconis & subdiaconis, lectoribus & omnibus aliis cujuslibet venerandi collegii aut schematis constitutis, ad tabulas ludere, aut aliis ludentibus participes ac inspectatores fieri, aut ad quodlibet spectaculum spectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc in tribus annis a venerabili ministerio prohiberi & in monasterium redigi. Si autem in medio tempore ostenderit dignam sui vitii pœnitentiam, liceat ei sacerdoti, sub quo constitutus est, minuere tempus, & hunc rursus propriis reddere ministeriis.* Videri quidem posset, quod per contrarium usum hæ Constitutiones a suo valore recesserint, nec adeo rigidi earum interpretes reperiantur, ut omnem lusum interdictum esse vellent, si ad recreandum corpus & ingenium instituatur; Stryk. d. l. §. 3. cavendum tamen, ne hæc relaxatio cum neglectu ministerii sacri adhibeatur, & ne a clericis ludatur cum prostituta requisita honestate. Espenius *de instit. & officio canon. P. 2. c. 6. §. 2. seq.*

XXXII. Quod dictum de ludis aleæ, chartarum & similibus, accipiendum etiam de ludis Scenicis, sive comici sint Comödien, Tragödien, sive Operæ die Opern, quæ a personis Musicam callentibus, ad repræsentandum aliquod factum verum vel fictum, ut spectatorum animi recreentur, doceanturque, modulationibus instituuntur, ad quos etiam Bachanalia christianorum das Carneval referenda, de quibus ludis videri potest Elias Augustus Stryk *Diss. de eo, quod just. est circa ludos Scenicos Operasque modernas* & alii, nempe quod Clerici cum vilipendio officii sacri, & gravitatis suæ, quam præ se ferre debent, agant, si hos ludos frequentent, vel ipsi eorum actores sint. Autoritate Patrum jubentur esse alieni a mundi voluptatibus, & a vulgari vita seclusi *c. 3. Dist. 23.* Hinc tam canones, quam leges civiles illis injungunt, ut spectaculis aliis-

que theatralibus artibus se abstineant *c. 37. D. 5. de Consecrat. c. 12. & pen. X. de Vita & honest. cleric. L. 17. & Auth. Interdicimus C. de Ep. & Cler. L. fin. C. de Episc. audient. Nov. 123. c. 10.* Nec ad excusandos eos facit, quod in Operis modernis & Comœdiis nihil inhonesti fiat, quo boni mores & pudicitia corrumperentur, nam ad hoc respondet Stryk *in not. ad Brunn. Jur. Eccl. l. 1. c. 6. m. 10.* §. 2. a fieri ad fieri, i. e. ab eo quod quandoque fit, ad id quod semper fieri debeat, in moralibus nullam obtinere connexionem. Nec sufficit ad conciliandam actui justitiam, quod in quibusdam locis superiores conniveant, ut fit apud Venetos, ubi Operis & Bachanalibus interesse non turpe esse clericis putatur. Imo ipsi in his ludis scenicis larvatos se præsentare possunt actores, & omnia voluptuosa cum aliis communia habere. Etenim non exemplis sed legibus judicandum, cum ex indulgentia apud Venetos clerici etiam fornices frequentare possint, quæ licentia illis ex ratione Status permittitur, ut apud plebem in contemptum veniant, hinc, carentes autoritate, eo minus periculo esse possint Reipublicæ, Senatus econtrario ab illa conniventia clerum contra Papam eo facilius sibi habeat obsequiosum. vid. Gundling im *Discours* über jetzige Europ. Staaten *P. 2. cap. 14. §. 20. in f. & §. 71.* Cæterum quia id, quod ex sua natura honestum & turpe est, mutari nequit per quorundam locorum contrarios mores; ista apud Venetos clericorum licentia non aliter, quam turpis, quæ decoro & honesto pastorali e diametro opposita, dicenda erit. Quin illa, si juribus quoque contraria, ad insignem malitiæ gradum procedit.

XXXIII. De CHOREIS & saltationibus diversimode judicatur, an possint sine læsione pastoralis dignitatis institui a personis ecclesiasticis? in abstracto consideratæ nihil aliud sunt, quam motiones corporis, in se, & absque concurrente pravo affectu nihil mali continentes. Quia tamen juxta *c. 3. D. 23.* ad mundi voluptates pertinent, & sæpe choreas lascivia comitatur, ac dicuntur in despectum virilis gravitatis cedere, variorum Conciliorum conclusionibus improbatæ ac prohibitæ leguntur. vid. Dn. Böhmer *in Jure Paroch. Sect. 8.*

c. 2. §. 5. Moribus itaque, qui decorum & honeſtum a clerico requirunt, adverſum ſe exhiberet, qui ſaltaret in præſentia auditorum, qui hoc factum facile pro ſcandalo dato interpretabuntur. Dn. Baſtineller *de Eo quod juſt. eſt circa Saltat. Sect. 2. §. 19. ſeq. Quantamcunque* inquit Ziegl. *c. l. cap. 18. §. 5. enim ſubeſſe fingas honeſtatem, habet tamen iſta pedum & totius corporis ad cytharam motio in Viro præſtantis autoritatis neſcio quid contemptibile & ab eccleſiaſtica ſeveritate alienum, adeo ut honeſtatis etiam colorem tum amittat actio, quæ moribus non æque conformis eſt.* add. Spener *in Conſil. Theol. Germ. P. 2. cap. 3. art. 4. ſect. 29. 30. 31.*

XXXIV. Transeundum ad Exceſſus, qui non contra doctrinam, nec vitæ dignitatem ac mores paſtoris in ſpecie ſunt, ſed ab eo, ut alio homine, committuntur. De INIVRIA, quod ab ea reus fiat, agit illuſtr. Wernher *in Princip. Jur. Eccl. Proteſtant. c. 3. §. 12. ſeq. & cap. 4. §. 69. ſeq.* Non ſolum de ea conſtat ab abuſu elenchi, ſed & quoties verbis vel facto utitur in alicujus contumeliam. Quamvis in dubio de miniſtro E. non præſumitur animus injuriandi, ſed potius, quod quid fecerit vel locutus ſit animo corrigendi, Balduin. *de Caſib. Conſc. lib. 4. cap. 7. caſu 5.* ſi tamen vel ex contracta conſuetudine calumniandi, vel aliunde ille appareat, excuſari ab injuria non poterit, quia omnis injuriam facere intelligitur, qui doli capax eſt, cujuscunque ſit ſexus, ætatis aut conditionis. Brunn. *J. E. l. 2. c. 18. §. 63.* Stryk *in Uſu mod. ff. tit. de Injur. §. 3.* Simon *P. 2. Diſſ. 3. m. 2. de Act. injur. contra Sacerdot. inſtituenda.*

XXXV. Prioribus ſeculis primi chriſtiani ſe ſacramento obſtringebant, de non violanda data fide & non abnegando depoſito, Plin. *lib. 10. Ep. 97.* Cyprian. *Ep. 50. & 52.* apud quos proinde pro gravi crimine reputata fuit ABNEGATIO DEPOSITI, quod apud aliquem conſtitutum erat. Nec immerito hoc. Nam cui res ſua cuſtodienda traditur, in eum deponens ſingularem collocat fiduciam, fore, ut rem acceptam fideliter cuſtodiat, eamque ſemper & quando velit repetere, incorruptam reſtituat. Præſertim autem de clericis, propter vitæ ſanctimoniam, quam profitentur, alii optima ſperant, ipſos

ipsos fidem sanctissime præstituros esse, quam de rebus, apud se depositis, diligenter custodiendis, deponenti dederunt. Quod si ad perversam partem desciscant, & vel abnegatione depositi, vel morosa ejus restitutione periculum deponenti faciant, perfidia hoc erit, quæ pro gravi crimine æstimanda. Idcirco depositum, quod tempore belli, incendii, tumultus vel alius calamitatis constitutum, & miserabile dici solet, si cum repeteretur, a depositario denegatum fuit, jure communi pœnam contra inficiantem operatur, quod in duplo id restituere teneatur §. 17. *J. de Act. L.* 1. §. 1. *&* 4. *ff. Depositi;* quia ejus perfidia crevit, & factum ejus tanto improbius habetur, quod per inficiationem ex aliena calamitate lucrum captare quæsiverit. Quæ dupli pœna nec hodie ubique exolevit. Jus Culm. *l.* 4. *tit.* 3. *c.* 3. Franzk. *ad ff. tit. Depos. n.* 99. Brunn. *ad L.* 1. *ff. d. t. n.* 3.

XXXVI. FURTUM delictum est, quod, sive a clerico sive laico commissum, pro fraudulosa alienæ rei mobilis contrectatione accipitur, animo lucri faciendi facta, ob quod ad satisfactionem præstandam civiliter & criminaliter agi potest. Jure Canonico non tantum pro fure habetur, qui rem alienam contrectavit, sed & qui domino requirenti rem furtivam non indicavit *c.* 4. *X. de Furt.* Illud a clerico furtum commissum adeo atrociter insectatur, ut eum irregularem pronuntiet, & non solum ad sacros ordines promoveri prohibeat, sed & promotum in illis non toleret, sed deponere jubeat. *c.* 12. *Dist.* 81. Lancellot. *l.* 4. *Instit. tit.* 6. Si fur, spretis omnibus censuris ecclesiasticis, incorrigibilis maneat, ultimo seculari potestati traditur. *c.* 10. *X. de Judiciis.*

XXXVII. Etiam clerici a criminibus carnis STUPRO, ADULTERIO, INCESTU rei postulantur, qui pudicitiam, thorum ac sanguinis propinquitatem violare non veriti *c.* 5. *X. de Adult. & Stupro.* De Monachis quidem hæc delicta in dubium vocat Fontanella *de Pact. Nuptial. Claus. V. glossa* 5. *P.* 1. *n.* 121. ubi dicit: *Non arbitror rem contingibilem in Praxi, nec est credendum, viros illos sacros tam solenne facinus unquam commisisse, aut committere posse.* Verum magis in dubium

vocan-

vovendum, monachos a voto suo castitatis adeo insensibiles esse factos, ut a carnis stimulis nunquam tententur, &, accepta occasione, nunquam contra præstitum votum sibi ipsis veniam largiantur. Contrarium colligere licet ex Concluso Concilii Eliberini Anno 305. habiti, & ejus *canone* 19. ubi dicitur: *Episcopi, presbiteri & diaconi, si in ministerio positi, detecti fuerint, quod sint mœchati, placuit & propter scandalum, & propter prophanum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Ipsum Jus Canonicum in aliam transire sententiam, ex pœna contra adulterantem clericum ibi statuta, apparet, quæ est, quod ab officio deponi, communione concessa, & quod ad totum vitæ suæ tempus in monasterio inclusus esse debeat. c. 10. *Dist.* 81. Vallens. *in Paratitl. Jur. Canon. lib.* 5. *tit.* 16. *n. ult.*

XXXVIII. A cæde hominis HOMICIDIUM appellatur, *L.* 51. *pr. ff. ad L. Aquil. L.* 11 *§.* 3. *ff. ad L. Corn. de Sicar.* quod est actus, quo homini vita sua eripitur, & inter crimina publica refertur, quod non minorem atrocitatem habet, si a clerico, quam si a laico commissum. Theodoric. *in Judic. crim. cap.* 7. *aph.* 1. *n.* 5. Ex justæ talionis ratione, quam ipse Deus posuit *Genes. IX.* 6. homicida quoque morte afficitur. Cocce. *de Sacrosanct. tal. jure* §. 28. *seqq.* Clericos homicidas tamen a pœna capitali Jus Canonicum eximit, eosque deponi & in monasterii claustra, ad perpetuam agendam pœnitentiam, vel expressius, ad perpetuum carcerem subeundum, detrudi jubet. c. 8. 41. 44. *D.* 50. *c.* 20. *C.* 24. *qu.* 3. Creditum enim fuit, homicidas pœnitentiæ satisfactione crimen suum diluere posse, & ex antiquo principium fuit Ecclesiæ: eam non sitire sanguinem, sed sanguinis pœnam abhorrere. Quod principium adeo altas radices egit, ut quibuscunque homicidis pateant ecclesiæ, & ad illas sacrum refugium arripere liceat *c.* 6. *X. de Immunit. cler.*

XXXIX. Majus esse reputatur crimen FALSI, & gravius Jure Canonico animadvertitur in falsarios, quam homicidas. Qui enim literas papales falsarunt, officiis & beneficiis ecclesiasticis privantur, post degradatione plectuntur, & seculari

potestati traduntur, ut secundum legitimas constitutiones puniantur. c. 7. *X. de Crim. falsi. add. c. 3. X. d. t.* Constat autem ex his, etiam clericos criminis falsi reos fieri, quod dolosa veritatis mutatione committitur in præjudicium alterius. Illud per varias species se exserit I. in persona per suppositionem falsi partus; II. in verbis falsi testimonii a testibus perhibiti; III. in Scriptis, tam publicis, quam privatis; IV. in abusu rei ad alterum decipiendum per mensurationem, ponderationem, monetæ adulterationem. Carpz. *Pr. Crim. qu. 93. n. 97. seqq.*

XL. Tandem huc referimus CRIMEN LAESAE MAIESTATIS. Hoc, quia exempla clericorum historia suppeditat, qui hoc crimen commiserunt, vid. Piasec. *Chron. ad An.* 1605. *p.* 278. Thuan. *lib.* 96. *Hist. p.* 456. & quoque per conciones, ad seditionem contra statum publicum excitandam, ab illis id commissum, non ambigendum in hos quoque cadere. Struv *Diss. crim.* 4. §. 13. Quo periculosius vero Reipublicæ & Personis Principum hoc crimen est, eo pluribus rumoribus & calumniis est implicitum, quæ pro veritate obtrudi, & illis Viri, autoritate & potentia præfulgentes, gravari solent. Hinc maxime hic prudentia utendum, ne sine probatione luce meridiana clariore contra denunciatum procedatur, cum in hoc crimine plerumque eadem persona videatur pars læsa & judex.

XLI. Hæc exempla excessuum in clericis, qui circa officium eorum, mores, ac qui illis cum aliis hominibus communes deprehenduntur, adduxisse sufficiat. Verum ut nemo impune peccat, sed ob suum delictum pœnæ subjicitur, ita & illi subjiciendi veniunt clerici excedentes, de quibus nunc agendum erit. Equidem excessus sunt, qui quasi in civitatem inter homines recepti, & quoque ipsis clericis cum aliis ita communes, ut propterea haut reprehensionem metuant, quorum tamen conscientia contra illos terrorem incutere deberet, quia auditoribus suis ex verbo divino inculcant, eos vitandos esse. Sunt tales superbia, avaritia, amor ad rixandum, vita luxuriosa &c. Hujusmodi excessus ita comparati

sunt,

ſunt, ut fere in foro humano puniri haut queant. Quotidie enim tot rerum ſpecies in fraudem legis homines excogitant, ut magis virtutis qualitatem induere, quam vitii aut delicti habere videantur, quando parſimonia dicitur, ubi dominatur avaritia, amor ſui, ubi ambitio, veritatis propugnatio, ubi ſtudium contendendi, & debita cura corporis, ubi luxurioſa vita eſt. Hinc difficilis fit probatio, quod tales actus delicta ſint, difficilis quoque eorum coercitio. Et ſi tandem illi pœnis ſubjicerentur, ubi tribunalia ſuffectura eſſent, & ubi judicium copia, ut de illis cognitio inſtitui, & quilibet exceſſus pro merito caſtigari poſſet. Ad majora itaque mala evitanda, ne in republica plures ſint contentionum ac turbarum materiæ, in foro externo exceſſus illi impuniti relinquuntur, & cujusque conſcientiæ relinquuntur, qualiter coram Deo eos excuſatos habere velit.

XLII. Cum vero exceſſus, de quibus nunc dictum, raro in finibus ſuis conſiſtant, plerumque vero in majora delicta erumpere ſoleant, quæ ſaluti publicæ ſunt damnoſa, tunc magis ad illa cohibenda per civilem vel criminalem pœnam apta fuit. Ad eam tracti excedentes clerici non demum recentioribus ſeculis, quaſi tunc magis inter eos invaluerint delicta, ſed contra eos jam prioribus ſeculis reperiuntur pœnæ ſtatutæ. Ex ſeculo tertio ſatis multos exceſſus eorum, a perfunctoria opera in officiis ſuis, a fœnorata pecunia ſua, contumeliis, quibus Reges & magiſtratus ſuos affecerunt, a ludis & crapulis continuatis, poſtquam moniti, ut ab illis ſeſe abſtinerent, ab excluſione & rejectione pœnitentium, frequentatione judaicarum ſynagogarum orandi cauſa &c. ut & contra eos decretas pœnas, videlicet ſuſpenſionem vel remotionem ab officio, excommunicationem, denegationem redituum ad vitæ ſuſtentationem &c. obſervavit Vir judicioſiſſimus Dn. Joh. George Pertſch. im Verſuch der Kirch. Hiſt. *Sec. III.* c. 3. §. 11. *ſeqq.* Hinc extra dubitationis aleam erit, ſi in aliquo eſt ambitio, ſi contentionis ſtudium, & ab his ad alterius injuriam proceſſum, quod hoc tale delictum tunc ſit, quod pœna poſſit coerceri, ut injuriato ſatisfactio præſtetur, vel

deprecatione privata, vel publica in coetu fidelium, si talis excessus fit, quo scandalum toti ecclesiæ datum, utpote si collegæ inter se continuis litibus certaverint; vel adhuc graviore pœna, pro transgressionis suæ gravitate. Si ab avaritia clericus ad usurariam pravitatem, de qua supra §. 28. prolapsus, condemnandus erit ad restituendam quantitatem usurarum, quam supra legis determinationem accepit, aliamque pœnam, quam judex dictare potest ex recepto jure contra usurarios manifestos.

XLIII. Quando clerici in eo gradu excesserunt, ut dimitti non possint impunes, erit semper ratio excessuum, quoad pœnas decernendas, habenda, an illi leviores, an graviores fuerint. Contra morum honestatem & quod tendit ad scandalum ecclesiæ delictum, utpote si minister ecclesiæ dissolutam vitam agat, officium suum negligat, si cum parochianis vel collegis rixas alat &c. verbalis correptio & admonitio, ut nævos suos emendet, sufficere potest. Ob ebrietatem postulatus, si spes aliqua emendationis futuræ, consilium est B. Speneri *Vol. 1. Consil. Theol. Germ. p. 782. seq.* ut ad deprecationem, publice in ecclesia, sub præscripta formula faciendam, adigatur. Si his modis finis obtineatur, & ad frugem peccator se receperit, non opus erit ulteriore correptione, sed malum sublatum erit, cujus removendi gratia correptio ista instituta fuit. Bastineller *de Pœnis clericor. earumque Præscriptione Sect. I. §. 14.*

XLIV. Incassum ea adhibita, & delinquente ad pristinos mores redeunte, ad graviorem pœnam contra eum procedendum erit. Locum hic invenit incarceratio, quæ honestiore nomine appellatur der Priesterliche Gehorsam, & injusta non erit dicenda in ecclesiæ ministro, cum ejus delicta impunita manere non debeant. *L. 14. C. de Pœn. Carpz. in Jpr. Consist. l. 3. def. 113. n. 12. 13.* Aliquando huic incarcerationi additur carena *c. 8. X. de Accusat.* quæ est commestio nudi panis & potus aquæ, et wird mit Wasser und Brod gespeiset. Ut autem officio parcatur, non in vulgari, sed honestiore loco, carcer ille assignari solet. Gärtner *Disp. de Carcerat. Cleric.*

cum & sfins carena c. 2. n. 26. & c. 3. Interim cum hæc incarceratio non parum apud vulgum existimationem minuat & maculam contrahat, Carpz. *l. 3. def. 114. n. 4.* loco ejus, inprimis contra clericos majoris dignitatis, mulctæ, vel detractioni fructuum beneficialium locum faciunt. Stryk *ad Brunn. J. Eccl. l. 2. c. 19. §. 2.* Lynck. *ad X. tit. de Pœn. §. 5.*

XLV. Quandoque transferuntur ministri ecclesiæ in aliam ecclesiam, in qua minus salarii minusque dignitatis consequuntur, quæ translocatio improbari non potest, si fiat ob debilem & incompletam vocem, ob rixas cum collegis vel parochianis, ob imprudentem elenchum, atque ex his causis ingratus sit parochus apud auditores, eorumque odio prematur, ut ita afflictæ ecclesiæ consulatur. Spener *Cons. Theol. Vol. 1. cap. 2. art. 4. sect. 7.* Dn. Fleischer in der Einleit. zum Geistl. Recht Cap. 32. §. 17. Si fiat IN POENAM TRANSLOCATIO ob pessimos pastoris mores, vel alia ejus delicta, ut aliquid mali patiatur, zu einer Pœnitenz-Pfarre, nulla ratione ea probari potest. Utut quidem per eam consulatur priori ecclesiæ, novæ tamen male prospicitur, cui, quæ nihil peccavit, malus homo pro animæ pastore obtruditur, qui, cum semel malis moribus infectus, nec hac translocatione ad emendationem vitam commovebitur *arg. §. 2. de Suspect. tut.* Quare satius erit, talem ministrum plane ab officio removere, quam eundem novo officio præficere. J. S. Stryk *de Translat. ministr. eccl.* Titius im Geistl. Recht *l. 2. c. 4. §. 49. & lib. 3. c. 5. §. 19.*

XLVI. Coercetur etiam excessus Clericorum TEMPORARIA SUSPENSIONE AB OFFICIO, si e. g. injurias evomuerit in Magistratum vel Patronum, de Lyncker *Rer. in Dicast. Jenensi decisar. Cent. 1. Dec. 346.* & ad tempus suspensus abstinere jubetur ab administratione officii, ac carere perceptione proventuum, reservata ipsi dignitate sua, quæ tamen apud vulgus quodammodo imminuitur, Carpzov. *lib. 3. def. 144.* de Lyncker *c. l. Cent. 3. Dec. 1155.* Officii administratio committitur interim Collegis vel vicinis pastoribus, quibus pro labore salarium, vel minimum accidentalia suspensi adjudicantur, cui semper si aliunde vivendi media non

 habeat,

habeat, alimenta salva retinentur. Schilter *in Instit. Jur. Can. lib.* 1. *tit.* 19. §. 6. & ibi Horn. *in Addit.* Si tempus, ad quod erat suspensio dictata, elapsum, in officium suum suspensus restituitur, & admonitio in Ecclesiis nostris additur, ut restituto Parocho condonent, nec ab eo scandalum accipiant, sed praeces pro ipso & tota ecclesia fundant, ut in vera pietate & fide, cooperante Deo, conservetur. Brunn. *l.* 2. *c.* 19. §. 5. Hoppe *de Suspensione ab Officio cap.* 5. *n.* 24. *seqq.*

XLVII. Non tamen semper suspensio ab officio poenae qualitatem habet, sed quandoque via tantum est ad inquisitionem, quando v. g. pastor suspectum se reddidit de injuria, homicidio, adulterio aut alio crimine, tunc enim, donec se a suspicionibus purgavit, ab officio suspenditur, ne interim in administratione ejus aliis scandalo fit. Brunn. *d. l.* §. 6. Ex hac causa quoque temporaria suspensio praemitti solet poenae depositionis vel remotionis ab officio. Dn. Böhmer *Consult. & Decis. Jur. Tomo* 1. *P.* 1. *Dec.* 107. *n.* 10. *& Dec.* 112.

XLVIII. A remotione differt *Dimissio*, quae generatim concepta est liberatio ministri ecclesiae a nexu, quo unitus erat ecclesiae. Est vel *voluntaria*, quae sponte resignantibus conceditur, vel *involuntaria*, qua invitus, ut saepe fit in pastorum Translocatione, ad aliam ecclesiam dimittitur. DEPOSITIO vel REMOTIO ab officio est: Officii ecclesiastici, a judice, in poenam ob delictum in officio sacro commissum, causa cognita, facta privatio. Haec, de qua tantum hoc loco agemus, summi praejudicii est, nam remoti existimatio non solum periclitatur, sed & reditibus ille privatur, quos habuit ad sui & familiae suae sustentationem, & parochiani suo Parocho orbantur, cui parem non facile sunt recepturi Carpz. *lib.* 3. *def.* 111. *n.* 9. *& def.* 112. *n.* 5. hinc non nisi prudenti cum deliberatione, ac urgente gravissima causa, huic remotioni locus esse potest.

XLIX. Talis causa vero est delictum, ob quod quis se indignum officio reddidit, & sine scandalo amplius eo persungi nequit. Viginti exempla criminum notavit Illustr. Böhmer *in Jure Eccl. Protest. Tomo V. lib.* 5. *tit.* 37. §. 103. quae digna putan-

putantur esse ad remotionem ab officio, quorum plurima ex numero criminum publicorum sunt, quæ *libr.* 48. *ff.* tractantur, qui addit in seq. §. 104. ob plura quoque delicta remotionem locum habere posse, si pastores præscriptum Pauli 1. *Tim.* 3. & *ad Tit.* I. 6. migrarunt, & servi gulæ facti, dediti pravis & deperditis moribus, si perfunctorie officio suo sunt functi. *Indecorum enim est, ut hi debeant regere ecclesiam, qui non noverunt gubernare se ipsos, cum ad ecclesiarum regimen tantum tales personæ sint admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate* dicitur in *c.* 3. *X. de Ætate & qualit. & ordin. præficiend.* Ex quibus econtrario haut difficulter constat: si vel nulla adsint delicta, vel nullum scandalum cum officio conjunctum, vel excessus levior sit ex humana fragilitate, remotionem hanc locum habere non posse. In hanc sententiam faciunt verba *Ordin. Eccl. Sax. Tit.* von Ober-*Consist. rubric.* Wie weit sich des *Synodi* Amt apud Bastinell. *Disp. de Pœn. cleric. earumque præscript.* quæ sunt: Was aber sonsten Gebrechen und Mängel der Kirchen-Diener Personen, und die Verrichtung ihres Amts, auch ihm selbst, und derselben Weib und Kinder, Leben und Wandel betrift, da es nicht grobe Laster, so unnachläßlich vermöge unserer Constitution und Policey-Ordnung gestraft werden sollen, sondern solche Sachen, dadurch die Gemeine GOttes wol auch verärgert, aber doch entweder ohne Vorsatz geschehen, oder sonsten durch Fleisch und Blut übereilet, die auch durch sie wol abgeschaffet und gebessert werden mögen, also daß um solcher Gebrechen willen, die gleichwol nicht zu gedulden, die Kirchen-Diener ihres Dienstes nicht so bald zu entsetzen.

L. Ut autem de causæ gravitate, quæ ad depositionem necessaria, constet, super ea cognitio, auditis partibus, & præcedente legitimo processu, instituenda, nam non major nullitas committi potest, quam quæ ex omissa causæ cognitione oritur. Carpz. *lib.* 3. *def.* 111. *n.* 9. *seqq.* & ibi Beyer *in Addit. def.* 122. *n.* 3. *seqq.* Stryk *in not. ad Brun. J. Eccl. l.* 2. *c.* 19. §. 3. Si, legitime peracta causæ cognitione, ea satis gravis appareat, Remotio per sententiam decernenda & rite publicanda. Böhmer *d. t.* §. 108. nec remoto, ut indigno per-

mitten-

mittendum, ut ab auditoribus valedictoria concione discedat. Beyer l. l. §. 117.

LI. Ob atrociora delicta v. gr. homicidium, veneficium, seditionem excitatam, delicta carnis, monetam adulteratam &c. etiam DEGRADATIO dictatur, s. dejectio de gradu, qua reus clericali ordine & privilegio solenniter privatur, & in laicorum ordinem detruditur, ut apud plebem illibata dignitas clericalis maneat, si postea pœna afficiendus sit a judice laico. vid. Dn. Krause *de Jure Degradat. Canon. ejusque usu in Terris Protestant.* Forma ejus in quibusdam ceremoniis consistit: Delinquens indutus vestibus sacris, manu tenens librum, vasa & instrumenta, quasi sacra in officio suo administraturus sit, in locum publicum producitur, vestibus illis, prævia allocutione de delicto commisso, exuitur, liber & vasa ei adimuntur, & vulgari vestitu indutus, ut laicus delinquens, manibus secularis judicis traditur, ut ab eo puniatur *c. 2. de Pœn. in 6.* Qua ratione Hussus, utut sine crimine, a clericali ordine depulsus, acta ejus docent, quæ licet legere apud Böhmerum *Tom. V. Jur. Eccl. Protest. lib. 5. tit. 37. §. 121. seqq.* & Becman. *in Syntagm. Dignit. Illustr. Diss. 15. c. 2. in f.* ubi de contentione Episcoporum mentio fit, an vertex ejus per novaculam, an forcipe radi debuerit, quodque factio vicerit, quæ pro forcipibus contendit. Aliud ob incendium degradati Monachi exemplum ex Chronico Erfurtensi MSCto ad A. 1472. exhibet Horn. *in Additam. ad Schilt. Inst. Juris Canon. lib. 1. tit. 19. §. 15.* cui, jussu Episcoporum, cutis de digitis, quibus S. Cœnam administraverat, deinde cutis capitis & aliarum corporis partium, quæ oleo ab Episcopo inunctæ fuerant, detracta, & is postea, exutus monachali habitu, indutus tunica plebeja, ac pileo ei imposito, carnifici traditus.

LII. Ea degradationis ceremonia in Ecclesiis Protestantium opus non esse, vult Titius im Geistl. Recht *l. 1. c. 6. §. 28. & lib. 3. cap. 5. §. 15.* quia reatus dignitatem in delinquente jam per se extinxit, qui proinde non ut clericus, sed ut facinorosus, punitur, & quia non majorem exemptionem a pœna, ob dignitatem suam, ille habet, ac laicus, nec hoc in

præju-

præjudicium clericalis ordinis vergere posse, statuit. Contrarium tamen observari ex variis conclusis Consistoriorum colligere licet apud Beyer. ad Carpz. d. l. def. 171. Et recentiora exempla docent, quod, quando clericus ad mortem, vel pœnam corporis afflictivam condemnatus fuit, solennitas ea quoque observata fuerit. Cum enim 1706. Pastor in Bartelfeld, Zacharias Georgius Flagge, ob crimen falsificatæ monetæ, pœnæ ignis destinatus esset, prius a Consistorio Hannoverano facultas concionandi, personas desponsatas copulandi, audiendi privatas confessiones, & Sacramenta administrandi ei adempta fuit, deinde is in eum statum repositus, quo vixit ante ordinationem, vestitus clericalis per Pedellium ei exutus, & viliori indutus judici seculari relictus, qui ultimo sententiam vivicomburii contra eum publicavit, & eam executioni dedit, de quo vid. Lunig. *in Theatro Ceremon. P. 2. p. 342. seq.* Aliud de clerico adultero, ad mandatum Regis Poloniæ & Electoris Saxoniæ Lipsiæ An. 1719. d. 7. Julii degradato, exemplum profert Dn. de Rohr im Ober-Sächs. Kirch. Recht *l. 2. cap. 1. §. 40. p. 326. seq.* Quanquam exempla quoque adsint clericorum sine tali degradatione capitaliter punitorum. Ante paucos annos Winklerus, Pastor paganus in Türpitz, Ducatus Bregensis in Silesia, ob incestum cum uxoris sororis filia, & infanticidia ex ea procreatorum liberorum commissa, palam quidem, sed sine illa degradatione ac terribili apparatu, ad declinandam hominum turbam, gladio decollatus fuit. Ut sit dicendum: non perpetuæ legis istam degradationem videri, sed omitti & adhiberi posse, pro diversa locorum observantia.

LIII. Ubi in usu, exauctoratio dicta etiam præmittitur, quando clericus torturæ subjiciendus, veritatis habendæ gratia, nam talis quoque non amplius dignus haberi potest, ut ad administrationem officii sacri admittatur. Clericum vero torturæ subjici posse, sufficientibus indiciis de delicto commisso gravatum, quia medium est veritatem explorandi, quam habere judicis interest, ne, eo omisso, delinquens impunitus dimittatur, Doctorum calculo comprobatum est. Carpz. *Pr.*

Crim. P. 3. qu. 118. n. 98. Ludovici in den Einleit. zum Peinl. *Process. cap.* 9. §. 46. Stryk. *ad Lauterb. tit. de quæst. p.* 719. Modo consulto Principe tortura adhibeatur, & non ex judicis inferioris sententia. Unde responso, quo a Facultate juridica ea dictatur, hæc formula inseri solet: jedoch mit Vorbewust und Einwilligung der hohen Landes-Obrigkeit. Stryk. *in Usu mod. ff. tit. de Quæst.* §. 3. *in fin.*

LIV. Ipsa pœna, quam Degradatio præcedit, VLTIMVM SVPPLICIVM est. Quamvis vero Jure Canonico homicida clericus non puniatur capitaliter, ut dictum §. 38. eo tamen Principes Protestantes non obligantur, sed vi summi Imperii, quod habent in suum territorium, gladii potestate utuntur contra quoscunque facinorosos, ad purgandam ab illis provinciam *L. Congruit* 13. *ff. de Offic. Præsid.* Clasen. *Comment. in Constit. Crim. Caroli V. Imp. art.* 137. p. 508. Hinc in crimine læsæ majestatis, homicidii aliοque atroci contra clericos summa supplicia decreta fuisse, ab exemplis manifestum est, vid. Burnet. in den Geschicht. die er selbst erlebet *V.* 1. *p.* 141: quæ a Judice seculari executioni data, ut indoli Jurisdictionis ejus quam maxime convenire, existimatur. vid. Ziegl. *ad Lancell. l.* 3. *tit.* 1. §. 6. Marcus Rhode *de Clericorum Judice seculari th.* 29. *seq.*

LV. De pœnis hæreticorum, quarum multæ & magnæ leguntur in utroque jure, videndum nunc erit. Privantur illi omnium jurium exercitio. Negatur illis testamenti factio activa & passiva, incarcerantur, excommunicantur, infames redduntur, eorum bona publicantur, & corpora viventium flammarum violentia in cineres rediguntur. Hartknoch. in der Pr. K. Hist. *l.* 1. *c.* 2. §. 30. Quam ustionem in autoritate Evangelii fundatam esse credunt, cum id doceat: *si quis in me non manserit, mittetur foras, sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent Joh. XV.* 6. Quoniam etiam mansuetudini clericali non convenit, effundere sanguinem hominis, obtestari solent hodie Inquisitores magistratum, cui hæreticum puniendum tradunt, ne sanguinem ejus effundant, sed ut vivum comburant. vid. Zoes. *ad X. tit. de Hæretic.*

Perez

Poenis ad Cod. dot. n. 2. & 3. add. B. Thomasii *Disp. de Jur. Princip. circa haereticos* §. 61 *seq.* Et hanc severitatem novissime probare nisus Stephanus Javorskius, Archiepiscopus Rezaniensis, in libro Moscuae sub titulo *Petra fidei* 1718. edito, eo maxime proposito, ut Romani Pontificis res inter Ruthenos juvaret, &, si ullo modo fieri posset, Jesuitis aditum ad eos patefaceret, quod opus tamen, cognito ejus fine, Imperator Petrus I. Magnus, in lucem exire vetuit, ne rixarum semina inter suos cives spargerentur, ac illi in vitae & fortunarum discrimina adducerentur.

LVI. Cum vero haeresis ad classem criminum referri haut possit, quae paci & quieti publicae noceret, ac vitam, fortunas & salutem aliorum civium in manifestum periculum conjiceret, ob quae malo poenae tantum in Republica introducta sunt; sed ea saltem dissensum in religione cum aliis civibus contineat, supra §. 13. haereticus quoque tantum rem suam curet, caeterum neminem, aliam opinionem circa sacra foventem, conviciis aut contumeliis insectetur, quin magis omnibus humanitatis officia exhibeat, & praesertim totius societatis commoda laboribus suis & industria promoveat, ne micam rationis afferri potest, cur talis haereticus poena aliqua aut ultimo supplicio affici debeat. Quod si ab haeresi tamen animis hominum periculum imminere statuatur, quod in errores induci possint, & illis aeternum animarum exitium attrahi; exinde tamen nondum evictum erit: ergo haereticos morte illata exstirpandos esse. Non enim contra tales errores gladius habile medium est 2. *Cor. X.* 3. 4. sed tolerandi errantes, &, solida institutione, per rationes & exhortationes, in viam reducendi, 2. *Cor. V.* 20. *Rom. XIV.* 1. *seqq.* Frider. Ulric. Calixtus *de Haeresi, Schismate, & haeretic. poenis. P.* 3. c. 5. §. 5. *seq.* Coccej. *de Jure circa haeretic.* §. 25. vid. Budd. *Theol. Moral. P.* 2. *cap.* 3. *Sect.* 7. §. 21. *in not.* Pfaff. *Diss. de Tolerand. vel non tolerand. in Religione dissident.* §. 5. Quibus argumentis obviam quoque ivit jam nominato Archi-Episcopo Javorskio Celeberrimus Ecclesiae nostrae Theologus Dn. Joh. Laurentius Moshemius *in Diss. de Poenis Haeretic.* quae reperitur in *Syntagm.*

 Dissert.

Differt. suar. ad sanctiores disciplin. pertinent. & omnia illius argumenta, quæ pro sua sententia ex V. & N. T. uti & ex quorundam Patrum dictis & autoritate conrasit, solide & docte confutavit, add. Georg. Bernhard Bülfingeri *Discurs. de Pœna Hæretic. noviter ab Ecclesia se avellentium.* Quando autem nonnulli ex nostratibus pœnas quasdam, quanquam leviores supplicio, ut excommunicationem, bonorum confiscationem, contra hæreticos approbant, Carpz. *Pr. Cr. qu.* 44. *n.* 30. Brunn. *J. Eccl. l.* 2. *c.* 18. §. 14. parum a doctrina Romanensium, & qui cum illis faciunt, recedunt. Si contingat hæreticum esse, & in ecclesia ministrum ejus, qui convictus hæreseos suæ, qua Ecclesiæ vel Statui publico periculosus existit, dum eam inter auditores disseminat, & errores spargit, autoritati summorum Imperantium & saluti civitatis adversantes, tunc ut in eum animadvertat magistratus, ab eo postulat officium. Et quidem vel remotione ab officio, salvis fama & bonis, vel etiam pro re nata pœna capitis, non propter hæresin, quia libero gaudebat religionis exercitio, sed quia se sua hæresi membrum esse negabat orthodoxæ ecclesiæ, eaque in republica seditiones & turbas excitabat. Calixtus *c. l.* §. 10. Pfaff. *d. l.* §. 6.

LVII. Cum plerumque Hæretificium sub larva pietatis & zeli pro religione defendatur, extra pœnam ponitur, melius tamen inspecta ejus qualitate, classi criminum accensendum erit. Qui enim fratrem & membrum ejusdem ecclesiæ hæreseos insimulat in articulo, qui vel non fundamentalis fidei est, vel in ejus tractatione verba adhibita, nihil insani præ se ferentia, sed quæ in optimam partem explicari possint, factum istud haut aliter accipi potest, quam quod publico contemptui innocens frater expositus esse debeat, quod delicti nota carere nequit. Dn. Rechenberg *Diss. de Crimine hæretificii* §. 7. *seqq.* ideoque in hujusmodi hæretifices justo quoque zelo suo invehuntur Spener in den Lebens-Pflichten *P.* 2. *p.* 451. Dn. Mosheim in der Sitten-Lehre der H. Schrift *cap.* 2. §. 21. *p.* 541. *seqq.* & alii. Exinde vero, quod suum cuique, ex regula juris naturalis, tribuendum, læso quoque contra

contra hæretificem satisfactio non erit deneganda, quæ per pœnam ipsi impositam fieri potest. Pœna hæc vel ea erit, quæ contra injuriantes in jure constituta, vel suspensio ab officio temporaria, vel durior pro gravitate admissi, si inconditis clamoribus turbis ansa data, & imperita plebs ad seditionem provocata, nam de turba tenetur quoque, qui directum consilium turbæ cogendæ non habuit *L.* 4. §. 6. *ff. de Vi bon. rapt.* Rechenb. *d. l.* §. *ult.* Böhmer *c. l.* §. 243. ad quem à §. 204. de hoc crimine hæretificii observata, ejus notatu dignissima legere licet. vid. supra §. 16.

LVIII. Contra ministrum E. ob seditionem adversus magistratum excitatam etiam PERPETVVM CARCEREM dictari posse, exemplum Krumbholtzii, pastoris Hamburgensis, fidem facit. Is, homo turbulenti animi, prius in Hungaria contra Romano-Catholicos, nostratibus quoque hoc factum improbantibus, varios motus excitaverat, ut ad solum vertendum condemnaretur. Postea Hamburgensis pastor factus cives contra Magistratum movebat, ut multi Senatores, qui illis obstiterant, ab officio removerentur. Cum diu satis hæ turbæ intestinæ continuatæ essent, tandem per legatos Cæsaris & Principum Circuli Saxoniæ inferioris Krumbholtzius 1710. Dannebergam abductus, & ibi perpetuo carceri datus, quo facto controversiæ tandem inter Senatum & cives desierunt, & pristina quies restituta. Cellar. *in Hist. Nova p.* 475. Rinck im Leben Leopoldi *P.* 1. *p.* 178. & im Leben Josephi *Impp. P.* 2. *p.* 539.

LIX. Pœnæ Ecclesiasticæ sunt quoque POENITENTIA & Excommunicatio. Illa in satisfactionem Ecclesiæ pro peccato imponitur, more periti Medici, pro personæ & peccati circumstantiis *c.* 3. & 8. *X. de Peccat. & Pœnitent.* Ditiores hanc satisfactionem pecunia præstant. Aliis per aliquot dies jejunium imponitur, psalmorum pœnitentialium recitatio, flagellatio, peregrinatio nudis pedibus facienda ad reliquias sanctorum. vide Lanris im Päbsts Thron *l.* 3. *c.* 3. §. 14. *p.* 1051. *seq.* Pœnitentia etiam in Ecclesiis Protestantium dictatur, sed ex alio fine, ut nempe delinquens emendetur, & alii a peccato absterre-

terreantur. Alia etiam hujus pœnæ genera adhibentur, & peccator ante fores templi stare jubetur, ac veniam ab ingredientibus rogare, humi in loco peccatorum jacere, vel in genua prolapsus sua peccata lugere, quibusdam vero in locis tantum fieri solet deprecatio delicti ex suggestu per ministrum ecclesiæ. Mitigatis ritibus usitatis, si non adeo atrox fuerit delictum, etiam clericis pœnitentia ecclesiastica die Kirchen-Busse imponitur, qui vel ipsi, juxta formulam a Consistorio præscriptam, deprecationem ex suggestu faciunt, vel loco eorum ab alio concionatore ea prælegitur, ne res nimis scandalosa parochianis fiat. Petr. Müller *de Pœnit. Eccl. cap.* 3. *n.* 21. *seq.*

LX. EXCOMMUNICATIO ECCLESIASTICA Kirchen-Bann, Ejectionem a cœtu ecclesiæ externo, & privationem communionis Sacrorum continet, quam fundatam volunt in exemplo Pauli 1. *Cor.* V. 5. qui peccatorem Satanæ tradebat ad corruptionem carnis, ut spiritus salvus esset in die domini; sed vid. Wolf. *in Instit. Jurispr. Eccl. l.* 1. *c.* 6. *p.* 21. *seqq.* Dn. Pertsch von Recht des Kirchen-Banns *cap.* 1. & 2. Dividitur in *majorem*, quæ ab omni omnino fidelium communione, excepto verbi auditu, aliquem excludit, vi cujus non admittitur ad munus Patrinorum, solennia funerum, & ipse ecclesiastica sepultura privatur; Straus *Tr. de Civiliter mortuis cap.* 2. §. 37. *seqq.* & *minorem*, qua quis tantum a sacramenti perceptione excluditur. *c.* 2. *pen. X. de Sentent. excommun.* Fecht *de Excom. Eccles.* §. 2. De illa hic sermo est, quæ graviora delicta præsupponit, ut blasphemiam, adulterium, seditionum concitationem &c. qualia ab Apostolo recensentur *ad Galat.* V. 19. vid. Dn. Böhmer *Diss. eccl.* 3. *ad Plin. & Tertull.* §. 31. *seq.* Ex odio veteris rigoris sub Pontificia tyrannide, in nostris ecclesiis rarior hujus excommunicationis usus remansit, nam observatum, quod tantum in laicos, non clericos, adhibita fuit, quod porro gradus admonitionis non præmissi, nec auditi banno affecti. Eundem tamen in Saxonia revocatum esse, prolixe docet Ziegler *de Superintendent. cap.* 18. §. 10. *seqq.* & revocari posse, Theologi & Politici pro re possibili

 agnoscunt

agnoscunt Fecht *d. l.* p. 34. *seqq.* Dn. Pfaff von den Mängeln der Geistl. *cap.* 2. p. 60. *seqq.* Baro de Canstein, *in Harmonia Evangelist.* p. 707. *seqq.* de Rohr im Ober-Sächs. Kirchen-Recht lib. 1. c. 17. §. 28. *seqq.* si modo propter gravitatem hujus pœnæ summa cum circumspectione, nempe Principis, illorumque qui Ecclesiam repræsentant, autoritate & consensu ad eum procedatur. Tunc autem excommunicatio hæc etiam in clericos statuenda erit, quia inter eos rei non minorum scelerum, ac inter laicos reperiuntur. Dn. Wernher *in Princip. Jur. Eccl. Protest. cap.* 6. §. 23. *seqq.*

LXI. Pœnæ, quæcunque hactenus expositæ fuerunt, a nemine alio tamen, quam competente rei judice, dictari possunt. Seculo II. propter heterodoxiam accusati non in conventibus clericorum ex votorum pluralitate damnabantur, ne in propria causa accusatores simul & judices esse viderentur, sed condemnatio a tota communione, juxta plurimorum suffragia, fiebat, ut ex Tertulliano & aliis hoc refert Dn. Pertsch in der Kirchen-Hist. *Tomo II. p.* 295. *pr.* & *p.* 300. *seq.* Inter Protestantes competens judex est non Patronus vel Magistratus Oppidanus, sed Consistorium, quod a Principe sibi delegatam Jurisdictionem exercet in personas & causas ecclesiasticas. Inter privilegia enim harum personarum refertur, quod peculiare forum habeant, ut qui per Ordinationem separati a laicorum ordine, illis, ob sacrum ordinem, reverentia aliqua per tale forum exhibeatur. Carpz. *lib.* 3. *Def.* 3. *n.* 12. *seq.* Beyer *ad Carpz. lib.* 3. *def.* 199. *seq.* Brunn. *Consil.* 143. Contraria tamen Principis voluntate, vel ex loci consuetudine, illa quoque Senatui Oppidano subjici possunt. Nam ut ex gratia Superioris Consistorio subjiciuntur, ita arbitrii ejus est, clericos ad judicem secularem remittere. Dn. Fleischer in der Einleit. zum Geistl. Recht *l.* 3. *c.* 4. *§.* 21. *seq.* vid. supra §. 6. Si atrox crimen est, quod capitalem pœnam meretur, judex ecclesiasticus delinquentem vel ad judicem secularem remittit, a quo torturæ subjiciatur & pœna mortis afficiatur, vel statim Commissariis, a Principe constitutis, causa committitur, qui per Processum Inquisitorium eodem modo cum delin-

delinquente agunt; ac cum laico, & cauſam per ſententiam ſuam decidunt, eamque Principis confirmationi vel reformationi committunt. Cæterum ſummo magiſtratui, qui majeſtatem in territorio habet, clerici æque, ac alii ſubditi, ſubjecti manent, & ad eum ab inferiore appellare tenentur. *ad Rom. XIII, 1. ſeq.* Ziegl. *ad Lancellot. l.* 3. *tit.* 1. §. 4. *verb. Pertractant.*

LXII. Ex his omnibus, quæ tractata hic ſunt, liquet adeo malos & ſceleratos etiam inter eos reperiri, qui cultui ſacro dicatos ſe profitentur, ut malitia eorum in gradu ſæpe excedat aliorum crimina, quibus ſe abſtinendi ab illis tanta non eſt legum cognitio, rectæque rationis exercitium. Quid mirum, quod adverſus eos, ac delinquentes laicos, ſint exdem pœnæ ultores. Nimis itaque leniter a Johanne Georgio I. Electore Saxoniæ dictum videtur: *quod infortunium comitatur eum, qui querela ſe movet contra ſacerdotem* vid. Vollſtändige, Alte, Mittel und Neue Hiſtorie von Sachſen *l.* 3. *P.* 2. *Cl.* 2. *cap.* 5. §. 22. *p.* 965. quando ab omni omnino querela, & quoque ubi graviores exceſſus a clerico commiſſi, adverſus eum abſtinendum eſſe, id accipitur. Nam infortunium exſpectare nequit eum, qui, ſtimulante juſtitia, in malos homines ſeverius animadvertit. Optandum eſſet, ut, cum plurimis, omnes, quibus eſt religioſus cultus demandatus, religioſam vitam agerent, eaque ſuos auditores ad imitationem invitarent, ſed qui contra ſcelere ſuo eos lædunt & ſcandalizant, pœnis quoque ad exemplum trahendi ſunt, ut omnes eorum exceſſus ſerio fugere & vitare addiſcant.

T A N T V M.